



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Liber Quintus Decretalium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

LIBER QUINTUS  
DECRETALIU.

TITVLVS I.

DE ACCUSATIONIBUS, INQUISITIONIBUS  
ET DENUNTIATIONIBUS.

§. I.

*Quid sit accusatio, & qua sit forma, sive qua conditiones ad eam requirantur?*

**A**ccusatio est alicujus criminis apud Iudicem competentem ad vindictam publicam legitime facta delatio. Est autem accusatio alia publica, quae scilicet tendit ad vindictam publicam criminis, ad poenam scilicet corporalem, vel pecuniariam, fisco publico applicandam, uti descriptio modò allata insinuat; alia est privata, quae fit ob privatam injuriam vindicandam, & ad poenam parti laesae applicandam. Ad utrumque spectato jure communi requiritur, primò ut fiat in Libello scripto (quamvis hodierna consuetudo sufficere paret, verbalem etiam accusationem, coram Notario, eam in scriptum redigentem factam.) Secundò requiritur ut exprimat<sup>ur</sup> annus, & dies oblatis Libelli, no-

men Accusatoris, & aequali, necesse Judicis, species delicti, super quo accusatoris intentio fundatur, locus & tempus delicti commissi, sive mensis & annus, ut de competentia Judicis v. g. accusatoris &c. aut de incontinentia aliqua possit fieri postmodum exceptio. Tertio ut fiat subscriptio accusantis, qui se inscribat ad poenam talionis, sive finalem, si non probaverit accusatorem, & promittat, se illam prosecutionis, usque ad finem, ad retinendam integritatem accusatorum (quamvis hodierna consuetudine de jure civili, nulli amplius inscriptio locum habeat, cum in illo foro non tam per viam accusationis, quam inquisitionis plerumque procedatur, vel per simplicem querelam, ubi nec scriptura, nec inscriptio necessaria est, ad Judicem puniendam criminis deferantur) & in jure Canonico adhuc locum habet, si per viam accusationis procedatur, c. Super his 16. & c. Quibus 24. h. t. n. si etiam de hoc jure oblationem v. g. materiae, aut ex alio capite,



capite, de quibus *Glossa in cit. cap. super his V. oportet*, aut quod per modum simplicis querelæ procedatur, nulla sit necessaria inscriptio.

§. II.

*Quinam ad accusandum admittantur, & qui ab eo repellantur?*

Generaliter loquendo non tantum ad suam, suorumque injuriam prosequendam, quilibet accusare potest, sed etiam ad vindictam publicam, nisi specialiter & expresse reperitur jure prohibiti, qualiter prohibentur primò Clerici accusare criminaliter ad vindictam publicam Laicos, non tantum ob irregularitatis periculum, si poenâ sanguinis afficiatur accusatus, sed quod reverentia statûs etiam exigit, his odiosis litigijs, & minis laudabilibus accusationibus se non immiscere; Si tamen accusando suam, suorumque, vel Ecclesiæ suæ injuriam prosequatur, nullum periculum subit irregularitatis incurrendæ, etiam si accusatus poenâ sanguinis afficeretur, modò contra protestetur talis accusans Clericus, quod hic & nunc non velit agere ad vindictam publicam, sed ad suam tantum, aut suorum, aut suæ Ecclesiæ interesse.

Secundò prohibentur Laici de crimine ad vindictam publicam accusare Clericos *c. Cum §. 10. h. t.* tum propter reverentiam, quæ a Laicis debetur Clericis, tum quod sæpius præsumi possit, ex odio, quo Laici in Clericos feruntur, provenire talis accusatio. Tertio prohibentur ob defectum ætatis, pupilli v. g. quartò ob sexus verecundiam, & fra-

*Compend. Pirhing.*

gilitatem, femina. Quintò infames & criminosi, juris quidem infamiâ infames ab utroque jure repelluntur, facti tamen infamiâ infames, saltem de jure Canonico. Sextò repelli etiam potest ab accusando excommunicatus majore excommunicatione. Septimò Liberti contra parentes ad accusandum non admittuntur, uti & liberti contra suos patronos, ob reverentiam scilicet, quæ his ab illis debetur. Octavò non admittuntur contra Christianos ad accusandum pagani & Gentiles, nec hæretici contra Catholicos, nec pauperes (nisi honestæ vitæ hic sit) nec accusati criminaliter, ad reaccusandum suum accusatorem, pendente accusatione; uti & plures alij, de quibus tamen sæpe conceditur, quod in criminibus exceptis læsæ, v. g. Majestatis, Simoniz &c. aut si suam, suorumque injuriam prosequantur, ad accusandum admitti possint & debeant.

§. III.

*Qua ratione repellatur quis ab accusando ob inimicitiam.*

Inimicitia, quam quis habet cum altero, si gravis est, ab accusando ordinariè repellit, (eò quod talis potius vindictæ causâ, quàm justitiæ zelo ad accusandum moveri videatur) non tantum eum, qui talem inimicitiam gerit, sed etiam ei cohabitantes, familiares, sæpius cum talibus inimicis conversantes, qui pro inimico testimonium tulerunt, ob affectionem scilicet nimiam, quam præsumuntur ad invicem habere, & hinc non tantum ab accusando repelluntur,

Xxx sed



sed etiam ab exceptione voluntaria & spontanea, si contra talem inimicum excipiant. *c. Meminimus 13. h. t.*

## §. IV.

*An Monachi seu religiosi possint criminaliter accusare suum Prælatum.*

**R**esponderetur affirmativè, juxta *c. Ex parte 11. h. t.* quia taliter accusando censetur Religiosus procurare utilitatem Monasterij, cujus interest non habere Prælatum malum, ita ut, si proprium peculium non habeat accusator, ex rebus Monasterij expensæ ad litem talem suppeditari debeant. Sicuti autem ab obedientia accusati non absolvitur per talem accusationem accusator, ita nec admitti debet ad accusandum, nisi post præcedentem summariam causæ cognitionem, ut appareat, quo zelo ad accusandum moveatur, alios verò extraneos accusare non possunt Monachi, nisi Monasterij intersit, & licentiam habeant Prælati.

## §. V.

*An Iudex ex officio repellere possit Accusatorem inhabilem, seu non idoneum, etiamsi pars nihil contra illum excipiat?*

**R**esponderetur affirmativè juxta *c. Si legitimus 1. h. t.* & hinc ante omnia inquirendam videtur de habilitate personarum, quæ litigare volunt in judicio; & quamvis Iudex ex officio in bonum reipublicæ repellere possit tales inhabiles, non potest tamen Episcopus familiares

suos, qui ipsum accusare volunt, per exceptionem criminis repellere, si eorum tequam se ab eis accusandum cogitaret, à sua familiaritate non amoveret, videatur jam reprobare eorum monachos prius approbavit. *c. Nulli 1. h. t.* tamen nec per officium Judicis, nec per exceptionem accusati repulsi sunt ad accusando inhabilis de se accusator, processus accusationis tenet, & effectum habebit, ut testatur communis opinio.

## §. VI.

*An quis obligetur ad accusandum, & utrum accusator desistere possit ab accusatione inchoata?*

**A**d primam quæstionem non posse interdum contingere, ut in comen in spirituale, vel temporale dicitur Reipublicæ vergat, quod per jurisdictionem seu canonicam denuntiationem averti non potest, ad accusandum quis teneatur, si cumen legitime probare possit, ne suspicioni calumniæ obijciat (cùm pars teneatur, etiam suo proprio incommodo aliquo, bono communi prospicere) de aliis vero criminibus, quæ non tendunt in bonum publicum Reipublicæ, nemo cogitur vitus accusare.

Ad secundam quæstionem non potest quidem accusatorem ante litem inchoatam, in causa criminali, ab accusando desistere, casu quo accusare non reatur; non posse tamen licet post litem inchoatam, per Libelli obligationem, sine consensu Judicis, sepe ipsius etiam Reipublicæ (quia post ceptam accusationem obligatus manet ad probandum, vel ad p-



nam subeundam) nisi postmodum se er-  
rante deprehendat, si falsò putando reum  
esse criminis alterum, qui tamen non  
est; ita tamen, ut si semel ab accusando  
desistit, non audiatur amplius, si de eo-  
dem crimine reum accusate postmodum  
velit. *c. Licet. 14. h. t.*

§. VII.

*De personis, quæ criminaliter ac-  
cusari possint, vel non possint.*

Generaliter loquendo, omnes delin-  
quentes, de criminibus quibuscun-  
que accusari possunt, tam liberi, quam  
servi, sine sexus differentia, tam pube-  
res, quam impuberes, modò usum ra-  
tionis habeant ad delinquendum, nisi  
vel ratione absentia, vel ratione supre-  
mæ dignitatis, vel saltem ad tempus ac-  
cusari prohibeantur (bono publico ge-  
neraliter illam exigente) ita tamen,  
ut accusatus de aliquo crimine, & post-  
modum absolutus, non possit de eodem  
hoc crimine iterum accusari. *c. De his  
6. h. t.* ne semper in periculo versetur suæ  
innocentiæ impugnandæ accusatus, &  
absolutus, nisi tantùm ab observatione  
iudicii absolutus fuisset, propter inepti-  
tudinem libelli, aut illegitimum accusa-  
torem, quo in casu alius accusator ad-  
mittitur; prout etiam admittitur alius  
accusator de eodem crimine, si probave-  
rit primum cum accusato collusisse, &  
sic absolutionem obtentam fuisse; aut si  
suam, suorumque injuriam prosequatur  
secundus accusator, & probet, saltem  
per juramentum primam accusationem  
se ignorasse; vel si criminaliter ad vin-  
dictam publicam agat secundus accusa-  
tor, cum primus tantùm civiliter ad

proprium interesse egerit, &c. plures ca-  
sus videri possunt apud Auctorem h. §.

§. VIII.

*An in causis & judiciis criminali-  
bus Procurator admitti possit, ac  
debeat?*

Regulariter non admittitur Procura-  
tor, si criminaliter agatur, ad accu-  
sandum (quamvis enim pœna talionis  
in accusatore deficiente hodie non sit in  
usu, puniti tamen potest juxta arbitrium  
iudicis, accusator calumnians aut defi-  
ciens) imò nec ad defendendum ad-  
mittitur. *can. 2. can. 5. q. 3. & c. Veniens  
15. junctâ Glossâ V. criminalib. 1.* si aga-  
tur ad pœnam capitalem vel aliam cor-  
poralem, quam reus, si de crimine con-  
demnetur, subire debet, ne iudicium  
tale reddatur elusorium. Ad excusandam  
tamen principalis absentiam, & dilato-  
rias exceptiones opponendas, quæ ante  
litis contestationem proponuntur, ad-  
mitti potest, ut ex *c. c. Veniens* colligitur.  
Prout etiam admitti potest in causis cri-  
minalibus, in quibus non infligenda ve-  
nit pœna corporalis, sed pecuniaria, re-  
legationis, incarcerationis, aut alia similis;  
vel si ob impossibilitatem facti, aut juris  
impedimentum, reus principalis per se  
comparere coram Iudice non potest.  
Videantur alii casus apud Auctorem h. §.

§. IX.

*De modo procedendi observando  
in iudicio criminali accusatorio.*

Si utraque pars tam accusator, quam  
reus, sit præsens in iudicio, eodem  
modo proceditur in causa criminali,  
quomodo in Civili, nisi quòd in libellis



accusatoris, non sit necessaria conclusio ad certam pœnam, ut alibi dictum, & evidentiores requirantur probationes in criminalibus, ac major reo concedatur defendendi suam causam libertas, etiam si appareat, eam injustam esse, etiam postquam in causa conclusum est. Quomodo autem contra reos contumaciter absentes in causis criminalibus procedatur, de jure Canonico, ab ea potissimum distinctione dependet, utrum lis contestata fuerit, vel utrum non fuerit; si contestata jam fuit, potest communiter contra reum contumaciter absentem, si de delicto liquet, ad sententiam condemnatoriam procedi, si sententia in absentem executioni mandari possit, prout est sententia privationis, depositionis, suspensionis ab officio, &c. Si verò lis contestata non fuit, vel non liquet de delicto, nec ad testium receptionem, nec ad sententiã condemnatoriam procedi potest, ne pars inaudita condemnetur, sed per excommunicationis censuram ad comparandum cogi potest; & si intra annum non comparuerit, pro convicto habebitur.

## §. X.

*De effectibus accusationis, & pœnis Reo imponendis.*

**P**rin cipalis effectus est accusationis, ut reo legitime convicto vel ordinaria pœna, & certa, à jure statuta, vel alia condigna, arbitraria, & extraordinaria, per judicis sententiam condemnatoriam infligatur, prout variae pœnæ hoc etiam titulo pro variis delictis feruntur; ubi in *c. Omnipotens 4. h. t.* etiam ille effectus pœnalis accusationi refertur, quòd ac-

cusatus, vel denunciatus, ad honores seu dignitates promoveri non possit, si deinde sint illæ Ecclesiasticæ, in sæculares (cùm ex tali accusatione, vel denuntiatione, saltem existimatio de hominis sit gravata) nisi per ipsum non steterit, quominus per annum casu de cisa fuerit, hoc enim in casu postquam promoveti potest.

## §. XI.

*Qualiter accusatore non probante, vel non comparente, reo negante de crimine in absentia sit permissio Canonica?*

**V**ide de hoc *c. Accusatus 27. h. t.* & quæ infra tit. 3. 4. de perjurantia Canonica dicentur.

## §. XII.

*Quibus modis tollatur & extinguitur accusatio criminalis?*

**T**ollitur primò per peremptionem, post elapsum tempus viginti annorum, à die commissi criminis, quo tempore regulariter & ordinatè proceditur omnis accusatio criminalis, si delictum semel patratum, totumque consummatur, & non habeat continuationem, uti habet crimen hæreticæ, & postulatæ, matrimonii contra SS. Canones contracti, &c. quibus in casibus per scriptio locum non habet, nisi à tempore cessantis criminis.

Secundò extinguitur accusatio criminalis per mortem accusatoris ante litem sententiam, ita ut heredes eam persequi non possint, sed iudex tantum ex officio.



Tertio extinguitur per mortem rei delinquentis, ita ut ad pœnam corporalem hæredes rei condemnati non teneantur, nec ad pecuniariam fisco applicandam, si reus ante sententiam condemnatoriam criminis moriatur, nisi inter excepta crimina numeretur illud, de quo reus accusatus est, quo in casu etiam lite non contestatâ cum defuncto, contra hæredes proceditur; vel ex delicto civiliter tantum conventus fuerit, ad pœnam pecuniariam parti læsæ applicandam, quo in casu iterum hæredes ex bonis defuncti tenebuntur.

SECTIO II.  
De inquisitionibus.

§. I.

De inquisitione in genere, & potestate inquirendi.

Inquisitio in genere dici potest, esse alicujus criminis manifesti, ex bono & a quo à iudice competente, legitime (secundum jura & Canones) facta investigatio. Et quamvis Iudex condemnare non possit aliquem, sine accusatore, non debet tamen semper esse accusatio formalis, sed sufficit sæpe accusatio virtualis, per publicam infamiam, indicia, &c. quæ locum faciunt inquisitioni.

Est autem triplex inquisitio; alia simpliciter generalis, sive generalissima, quæ fit ex mero officio Iudicis, neque personam aliquam certam, neque certo crimine expresso; an non committantur v. g. delicta quædam in civitate aliqua, &c. alia est inquisitio mixta partim

generalis, quoad personas, partim specialis quoad delicta, vel è converso, utrum Titius v. g. flagitia quædam patravit, vel à quo homicidium, quod commissum est, sit commissum. Aliademque est simpliciter specialis, tam quoad personam scilicet, quam quoad delictum, ut cum inquiritur, utrum Titius hoc homicidium commiserit; quæ inquisitio nonnunquam fit ex mero officio Iudicis; nonnunquam ad querelam alicujus, qui tamen accusatoris partes subire non vult; nonnunquam ad denuntiationem publici Officialis ad denuncianda delicta deputati. Potest autem quilibet Iudex sive Ecclesiasticus, sive Civilis fit, inquirere, modo sit Iudex competens, & reus, contra quem inquiritur, sit, saltem quoad illum articulum, super quo inquiritur, illius jurisdictionis. Et quamvis de jure Civili putent aliqui inquisitionem fieri non posse ex officio à Iudice, nemine denuntiante, aut querelante, ne videatur remedium extraordinarium, qualis est inquisitio, remedio ordinario, qualis est accusatio, præponi; de jure tamen Canonico, uti etiam hodie ex consuetudine de omnibus delictis per viam inquisitionis procedere possit Iudex, & factum jam fit remedium inquisitionis remedium ordinarium.

§. II.

An ad inquisitionem omninò generalem, vel mixtam requiratur, ut precedat infamia criminis, vel persona?

AD inquisitionem omninò generalem, uti in genere tantum inquiritur, utrum in tali loco vigeant aliqua crimina

Xxx x 3

crimina



crimina, nulla præcedens infamia necessaria est, sed potest eam Iudex præcisè ex officio suo instituere. *c. 1. De offic. Iud. ordin. c. 5. §. sanè de censib. in 6. c. sicut olim 25. b. 2.* quia talis inquisitio cum non datur contra certam personam, sed præcisè ad emendandos mores, & purgandam rempublicam, publicâ auctoritate, nulli injuriola est; & hinc non tenetur interrogatus vi illius inquisitionis manifestare occulta crimina eorum, qui nullâ laborant infamiâ, aut quæ probare non potest, etiamsi sub juramento interrogetur, ad cavenda plurima incommoda iniustissimarum infamationum, nisi manifestatio talis ad emendandum tantum criminisum Iudici ut Patri, facta, necessaria esset, aut ad advertendum grave damnum.

In mixta verò inquisitione, si crimen quidem certum est, & publicum, auctor tamen illius nescitur, & de hoc inquiritur, cum nulla præcedente fama de persona aliqua particulati, non potest fieri specialis contra certam personam inquisitio, sed generaliter tantum inquirendum est, quis illud commiserit, ut Reipublicæ scilicet per generalem talem inquisitionem consulatur, nulli tamen in specie fiat injuria, si nullâ labore de tali crimine perpetrato publicâ infamiâ.

§. III.

*An, & quâ ratione ad inquisitionem generalem contra personam aliquam particularem requiratur, ut præcedat illius infamia; & quomodo in tali inquisitione sit procedendum?*

**P**lurima de utraque hac questione statuuntur in *Qualiter &*

*quando 24. b. 2.* quod videri potest, et quæ circa illa plurima annotat in hoc §. Auctor Method, quorum omnium brevis epitome esse potest primò, quod contra personam particularem, specialis inquisitio fieri non possit, nisi præcedat publica illius personæ circa delictum de infamia, ut dictum. Secundò, quod hoc vel maximè attendi debeat, si contra Prælatos, aut publicos magistratus inquisitio. Tertio, quod inquisitio facienda sit, in loco, ubi est infamia. Quarto, quod fama se sola, nec in criminalibus planam probationem faciat, & sepe in criminalibus nec semiplenam, nisi orta sit talis fama ex verisimilibus causis, & cooperata, & verisimilibus aliis cooperata maneat. Quintò, quod sit clamorosa fama, quæ sæpius ad Iudicis aures pervenit, & notum habeat, non à viliibus, sed honestis personis, & si contra Prælatum sit facienda inquisitio, ut præcedat talis contra eum infamia, quæ sine scandalo dissimulari non possit. Sextò, quod præsumens debeat esse, contra quem fit inquisitio (nisi per contumaciam se absterget) & capitula, circa quæ futura est inquisitio, illi exponantur, ac testium qui interrogantur, nomina, ut defensionis, & exceptionis copiam habeat, & servetur debitus legitimæ correctionis ordo, ut primò quidem reprehendatur, deinde increpetur, cum comminatione pœnæ, ac postmodum suspendatur ab officio, vel beneficio, & tandem excommunicetur, prout præscribitur in *c. 1. Qualiter*, ex quo capitulo etiam habetur Prælatum, si per inquisitionem reus deprehendatur, non faciliè ab ordine deponendum, sed



ab administratione tantum amovendum, nisi delicti ratio, & infamationis periculum aliud jubeat.

§. IV.

In quibus casibus non requiratur necessarium ad specialem inquisitionem contra personam particularem de aliquo crimine, ut precedat illius infamia?

Primò non requiritur hæc præcedens, de aliquo particulari, infamia, si alia sufficientia, & legitima indicia contra eum pugnent, talia enim indicia sæpè fortiora sunt, quam ipsa præcedens infamia, ex levioribus sæpius conjecturis orta. Secundò non requiritur, si fiat inquisitio ad denuntiationem publici Officialis. Tertio, si pars, contra quam fit inquisitio, sine ulla præcedente infamia, aut contra quam à Principe fieri mandatur motu proprio, aut ex certa scientia, inquisitio, nihil opponat, nec reclamet, cum tamen sciat, contra se fieri inquisitionem, quia censetur talis favori pro se principaliter introducto, cedere, ut disponitur in c. 6. Si is, h. r. in 6. Quarto, quando inquisitio fit non ad effectum puniendi crimina, sed ad effectum corrigendi ob bonum animæ, qualiter fieri solet in visitationibus, in Episcoporum promotionibus, in ordinandis, &c. Quintò, quando inquisitio fit in crimine læsæ majestatis, in crimine hæresis, & in similibus gravibus, & periculosis criminibus, in damnum grave Reipublicæ, aut animarum tendentibus, &c.

§. V.

Quenam præterea jure Canonico statuta sint circa modum procedendi per inquisitionem specialem?

Primò statuitur in c. Qualiter 17. h. r. ut ordo juris in inquisitione servetur, qui in duobus potissimum consistit, primò, ut regulariter non fiat inquisitio, nisi contra infamatum, ut prioribus §§. dictum. Secundò, ut postquam de infamia constat, per testes, publicam famam, aut alia sufficientia indicia, &c. inquiratur de veritate criminis, ut ne scilicet inde nascantur injuriæ, unde jura nasci oportet.

Secundò statuitur in c. Cum dilecti 18. h. r. ut non recipiantur excusationes super confessione facta, si juravit prius confitens, quòd plenam & meram veritatem sit dicturus; recipiantur verò super confessis excusationes, si juravit tantum confitens, quòd velit ad interrogata respondere, & excusationes tales non perimant confessionem, sed eam tantum explicent, & declarent; cum juramentum religio in posteriori casu patiatur Confessorum explicationem, non autem in priore casu, ubi ab initio statim omnis veritas dicenda est.

Tertio statuitur in c. Cum oporteat 19. h. r. quòd inimici partis, contra quam fit inquisitio, sicuti ad accusandum non admittuntur, ita nec admittendi sint ad inquisitionem prosequendam, & testificandum; & cui simpliciter commissa est inquisitio super crimine, illi (tacite saltem) commissa etiam censeatur inquisitio super fama, quæ quasi præambula



bula est ad inquisitionem, & consequenter, cui principale commissum est, censetur etiam commissum hoc accessorium, nisi in commissione à Principe facto, assertivè etiam narretur, quòd de fama sibi jam constet, ut supra dictum.

Quartò denique in *c. Ad positionem* 22. *h. 1.* statuitur, quòd nec Legatus à Latere immiscere se possit, speciali à Papa factæ commissioni, de inquirendo contra aliquem, ut dictum; & quòd quilibet de universitate aliqua, contra quam inquisitio demandata est, singulariter excipere possit, si de quolibet in particulari inquisitio fiat; à toto ferè collegio, sive à majore illius parte, si contra totum Collegium communiter inquisitio fiat, cum in priore casu cujuslibet in particulari interesse agatur, in altero verò casu totius tantum communitatis.

## §. VI.

*Quæstiones nonnullæ circa modum procedendi per inquisitionem à Concilio Lateranensi præscriptum occurrentes proponuntur & resolvuntur.*

**P**Uteraq; de primis tribus quæstionibus, quas habet author, ex dictis jã patent, vel speciale nihil asserunt: vicimū quæsitum est, quænam specialia sint observanda in inquisitione facta contra regulares. Respondetur, tria potissimū observanda esse, ut patet ex *c. Qualiter*. Primum est, quòd ordo juris non sit in inquisitione tali contra regulares quoad subtilitates, seu juris solemnitates exactissimè semper servandus, sed sufficiat veritatis probationem certam haberi.

Secundum est, quòd facilius Prælati regulares ab administratione remoti possint, quàm Prælati seculares. Tertium est, quòd contra regulares non ut exceptiones reperiantur, & admittantur, sicuti contra seculares, cum regulares in schola potius virtutum, quàm in foro & solemnitatibus juris vestiti esse debeant.

## §. VII.

*Qualiter puniendum sit crimen per viam inquisitionis probatum?*

**C**ONDEMNATUS & CONVICTUS DE CRIMINE per viam inquisitionis, non punitur pœnâ ordinariâ, sicuti à lego pro illo crimine, sicuti punitur damnatus & convictus per viam accusationis, sed punitur (saltem de jure Canonico) mitiore pœnâ, & arbitrariâ (ut iniquitatus, qui in eo gravatur, quòd contra eum sine accusatore procedatur, in alio, in pœnâ scilicet mitiore, retereur) nisi crimen, quod per viam inquisitionis probatum fuit, tale crimen sit, ut etiam post pœnitentiam peractam impediendi ordinis suscepti executionem, aut transgressi retentionem, quæ criminis sui quæ irregularitatem secum trahit, crimen simoniæ in acquirendo beneficio commissum, &c. quibus in casibus, eadem pœnâ etiam de jure Canonico debet inquisito imponenda esse, quæ imponitur per viam accusationis convicto & damnato. *c. Inquisitioni 21. h. 1.*





SECTIO III.

De Denuntiationibus.

§. I.

Quid, & quotuplex sit denuntia-  
tio, & in quibus casibus possit Iudex  
procedere per denuntiationem  
judicialem?

Denuntiatio in genere dici potest,  
quod sit alicujus criminis delatio, seu  
manifestatio superiori legitime facta. Est  
autem denuntiatio duplex: alia Evangelica,  
quæ etiam charitativa dicitur, si scilicet ad  
emendationem, & correctionem, ac pœ-  
nitentiam, juxta formam à lege Evange-  
lica Matth. 18. introductam, denuntiatio  
ad Superiorem ut Patrem fiat: alia ju-  
dicialis, si crimen deferatur ad superio-  
rem, ut judicem, ob publicam vindi-  
ctam, aut privatam punitionem, ut per  
punitionem delinquentis satisfiat com-  
munitati, aut parti læsæ; & hinc subdi-  
viditur hæc judicialis denuntiatio in pu-  
blicam, seu criminalem, quæ fit ad publi-  
cam vindictam, & in privatam, seu Civi-  
lem, quæ privatum interesse attendit;  
in Canonicam, quæ fit contra Prælatum  
v. g. & in regularem, quæ expeditur se-  
cundum diversas regulas diversarum reli-  
gionum, &c.

Potest autem Iudex in foro sæculari  
ex officio procedere, si denuntiatio judi-  
cialis facta fuit per eos, qui publicâ au-  
thoritate deputati sunt, ad denuntian-  
dum; vel etiam, juxta receptam con-  
suetudinem, ad denuntiationem cujus-  
libet privati, cum publico bono pluri-  
Compend. Pirhing.

mum interfit, ne delicta maneat impu-  
nita, quocunque modo eorum malitia  
ad judicem legitime perveniat: de jure  
tamen Canonico non tenetur Iudex Ec-  
clesiasticus quamcunque denuntiatio-  
nem judicialem admittere, nisi Clericus  
sit, vel Regularis, qui denuntiatur, vel  
Laicus quidem sit, qui denuntiatur,  
crimen tamen, de quo denuntiatur, sit  
naturâ suâ Ecclesiasticum, simonia v. g.  
hæresis, &c. vel nisi denuntiatio fiat ob  
defectum justitiæ in foro sæculari; vel  
ratione pacis violatæ, aut juramenti non  
servati à Laicis.

§. II.

Virum ante denuntiationem judi-  
cialem semper precedere debeat secreta  
monitio, & an etiam alia juris solemn-  
itates in ea servanda sint, & quinam  
ab hac denuntiatione  
repellantur?

Ad denuntiationem judicialem, sive  
generalis hæc fit, & publica, sive  
privata, & specialis, non prærequiritur  
in foro sæculari, ulla prævia monitio;  
prærequiritur tamen hæc in foro Cano-  
nico, seu Ecclesiastico (saltem si sit spe-  
cialis denuntiatio) prout habetur etiam  
ex c. Si quis. 2. h. t. cum in hoc foro non  
tam vindictæ publicæ, quàm charitativæ  
emendationi locus pareretur; & hinc  
non tenetur denuntiator ad pœnam ta-  
lionis subeundam scribere, uti habe-  
tur in c. Super his 16. h. t. quamvis alia  
juris solemnitates, quæ in libello accusa-  
torio requiruntur, etiam in hac judiciali  
denuntiatione servandæ sint, ad clario-  
rem magis denuntiationem, & fraudu-  
lentam

Y y yy

ECTIO



lenas denuntiationes devitandas, ob quam etiam causam à denuntiando judicialiter repelluntur, sive per se, sive per Procuratorem denuntiare velint, quod absolute fieri potest, concubinarij publici, excommunicati, qui conspirant ad denuntiandum, vel prius eum de crimine non admonuerunt, contra quem denuntiationem faciunt, *c. Cum Dilectus. 20. h. t. & universam criminosi, c. Cum in tua 27. de sponsal. nisi suam, suorumque prosequantur injuriam arg. can. 2. can. 4. q. 6. &c.*

## §. III.

*An pendente inquisitione, ad denuntiationem contra Superiorem seu Prælatum à subditis factam, Superior his procedere possit in causis motis contra subditos?*

Quamvis pendente inquisitione contra Prælatum denuntiatum à suis subditis, in omnibus causis aliis contra subditos hos suos procedere possit Prælatus denuntiatum, & hi illi obedire teneantur, cum per denuntiationem non

amiserit suam jurisdictionem, prout colligitur ex *c. Olim. 26. h. t.* super reprobatione tamen illo, super quo denuntiatum est, & ab hoc dependentibus, nihil potest, & suspensa circa hoc est, ejusmodi dictio, ita ut pendente inquisitione abeat denuntiatum talis Prælatus ab omni processu, per quem negata inquisitionis posset impediri, certum judicium hoc per denuntiationem legitimam ad superiorem judicium datum sit.

## §. IV.

*Quomodo procedendum sit, quando crimen opponitur per modum exceptionis, & quomodo super crimine numi?*

DE utroque hoc quæsitum, hinc inde dictum jam est, & quæritur de his illorum disputatio hujus loci non est. Videatur de primo quæsitio *c. Super 16. §. Cum autem. h. t. de pænitentiis* *c. Evidentia. 9. h. t.*





## TITVLVS II. DE CALUMNIATORIBUS.

## §. I.

*Quis dicatur calumniator, & quid sit calumniari, & quali poenâ sit afficiendus?*

**C**alumniari aliud non est, quam falsa crimina proponere, & calumniator, propriè loquendo, dicitur ille, qui falsum crimen alicui in iudicio imponit, ita tamen, ut alia calumnia sit vera, quando quis scienter, & per dolum, falsum alicui crimen objicit; alia verò sit præsumpta, quando quis crimen, de quo accusavit aliquem, aut denunciavit, non probat, aut in probatione deficit; præsumitur enim hic talis, animo calumniandi, licet movisse, nisi ex quibusdam indiciis appareat, eum probabiliter litigasse.

Calumniator autem, qui scienter & per dolum falso accusavit alium, punitus olim fuit poenâ talionis ordinaria, hodie tamen puniti solet poenâ extraordinariâ, ad arbitrium Iudicis, varias circumstantias attendentis; uti colligitur ex *c. Super his. 16. de accusat. & c. Cum foris. 1. h. t.*

## §. II.

*An, & ob quas causas excusetur accusator à calumnia, ejusque poenâ; & an etiam denunciator puniatur, tanquam calumniator, si in probatione criminis deficiat?*

**E**xcusatur à calumnia, etiam præsumpta, accusator, si iustâ causâ, & ex-

rore probabili ductus accusavit, etiam si postmodum in probatione criminis deficiat, ut constat ex *L. 1. sed non utique ff. ad senatus consultum Turpillianum*, ita ut nec ad expensas solvendas condemnari possit. Sunt autem causæ justæ excusantes ejusmodi plures, ut si semiplenè saltem probavit; si fuit à testibus deceptus, &c. Neque tamen publici denunciatores, qui publicâ auctoritate ad denunciandum crimina constituti sunt, aut ad probandum denunciatum crimen obligantur, aut si in probatione deficiant, poenâ aliquâ puniuntur, ex præsumpta aliqua calumnia, modò nominent testes de delictis verosimiliter informatos, aut alia indicia aperiant, quibus Iudex ex officio moveri possit, ad ulteriorem inquisitionem; cum esset in talibus calumniæ præsumptio, qui ex necessitate officij denuntiant; subinde tamen ad poenam calumniantium evitandam, si non sufficienter probant, quod denuntiant, probare debent, saltem per juramentum proprium, quod non animo calumniandi denuntiaverint, ut ne denunciatores cum boni publici periculo

sibi semper timere debeant, de poenis calumniantium.



Tyyy 2 TL



## TITVLVS III

DE SIMONIA, ET NE ALIQUID PRO  
SPIRITUALIBUS EXIGATUR, VEL PRO-  
MITTATUR.

## SECTIO I.

De Simonia in genere,  
ejusque divisione.

## §. I.

## Quid sit Simonia?

Simonia communiter definitur, quod sit studiosa voluntas (actio scilicet deliberatè voluntaria) emendi aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, (contr. etu scilicet oneroso) pro temporali aliqua re; vel ut Suarez clariùs fortasse definit, est sacrilegium, quod committitur in emptione, et venditione, vel quovis alio simili contractu, quo res spiritualis, ut talis est, (aut spirituali annexa) pro re temporali commutatur, aut comparatur; vnde in his definitionibus, sub nomine rei spiritualis, res vel intrinsecè quoad substantiam sacre, & supernaturales, uti sunt gratia sanctificans, virtutes Theologicæ & Morales divinitus infusæ, dona Spiritus Sancti, gratiæ gratis datæ, &c. vel causaliter spirituales, ordinatæ scilicet ad causandâ gratiam, aut alios actus supernaturales, uti sunt Sacramenta, officia Ecclesiastica quædam, &c. vel res, quæ sunt effectus rerum super-

naturalium, uti sunt baptizare, ordinare, divina officia celebrare, prædicare verbum divinum, miracula facere, &c. Spirituali autem rei annexa dicuntur, quæ quidem in se sacra non sunt, ab his tamen non dependent, & quidem vel antecedenter, quia tanquam peria, & præsupposita ordinantur ad spiritualia, uti sunt sacra vasa, altaria, &c. sed etiam officium Missæ ordinatæ & lectionibus, quos jus patronatus, electiones, collationes beneficiorum, &c. quæ se habent per modum causæ respectu beneficii, vel concomitanter, quæ sunt cooperantur cum spiritualibus functionibus, ut est labor corporis, qui in administratione talium functionum spiritualium intervenit, &c. vel denique consequenter, vel effectus suarum causarum, ut sunt beneficia, sive jus percipiendi redditus temporales propter officium spirituale, &c. Ex quibus omnibus colligitur Simonia specificam malitiam propriè in hoc consistere, quod tanquam rem profanam, & vilem, cum re profana comparandam, & compensandam, æstimet rem spiritualem & supernaturalem, quæ utique gravis deformitas est, ita ut in can. m. c. l. 1. q. 7. dicatur: omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis, quibus



pro nihilo reputari, & non detur in eo peccato parvas materia.

§. II.

Quotuplex sit Simonia, sive quomodo dividatur?

Simonia alia est juris divini, & naturalis, prohibita, quia mala est, & utriusque juri, tam divino, quam naturali repugnat, uti est venditio v. g. rerum propriè sacrarum, venditio hostiæ consecratæ, venditio Sacramentorum, &c. alia est juris positivi Ecclesiastici, mala, quia prohibita est, quæ secundum se, nec divino, nec naturali juri repugnat, prohibetur tamen ab Ecclesia, ob multas inconvenientias, & incommoda, qualis Simonia committitur, si beneficia cum beneficiis illicitè permutantur sine Superioris auctoritate, c. Quæsitum. s. & c. Cùm olim 7. de rerum permut. Si vendantur res per se quidem temporales juxta materiam suam, hinc & nunc tamen spiritualizatæ, uti est sacrum oleum, Chrisma, &c. c. Non satis 8. h. s. Si vendantur officia quædam, ad rerum spiritualium (vel temporalium Ecclesiæ, ut putant aliqui) administrationem ordinata, officium v. g. Advocati, Syndici, Oeconomi, Custodis, Sacristæ, &c. hanc autem juris Ecclesiastici Simoniam non esse propriè dictam Simoniam putant aliqui, fatentur tamen hi ipsi speciem quandam sacrilegij ex genere suo mortalis, propter Ecclesiasticæ legis prohibitionem, ob reverentiam, his etiam rebus spiritualibus, conservandam, hanc quasi Simoniam esse.

Dividitur etiam Simonia in mentalem, conventionalem, & realem. Mentalis Simonia hoc loco dicitur, non nudum tantum internum propositum committendi Simoniam, sed ea etiam, quæ opus externum adjunctum habet, quod tamen nullo signo externo apparet simoniacum, ut si quis rem spirituales, velut ex justitia debitam, alteri conferat, ob obsequium aliquod temporale sibi exhibitum, ita tamen, ut pravam hanc intentionem, compenlandi ex justitia obsequium temporale per rem spirituales datam, exterius non manifestet, nullo pacto, aut conventione exterius interveniente. Conventionalis Simonia est, quæ verbis, vel signis exterius manifestatur, per mutuum scilicet pactum, expressum, vel tacitum, ita tamen, ut nec datum aliquid sit, nec acceptum, sed sola facta promissio. Realis denique dicitur illa, quæ ex parte utraque est executioni mandata, per universalem traditionem rei sacræ, & acceptationem pro ea temporalis pretij.

SECTIO II.

De materia Simonia, sive rebus, in quibus committi potest hoc crimen contra jus divinum, vel humanum Ecclesiasticum.

§. I.

De Simonia, quæ committitur circa res merè, ac mirinsecè spirituales, & imprimis circa gratiam, Sacramenta, & sacramentalia.

EX dictis jam patet, quod Simoniam juris divini committat ille, qui vendit

PRO  
RO.

ordinat  
re  
S  
que  
ab his  
vel  
ad  
ad  
colle  
le  
con  
si  
ultra  
n  
re  
re  
h  
Sim  
hec  
con  
tra  
qu  
ma  
ad  
is, qui  
pro



dit, vel emit pro pretio temporali, gratias spirituales, ut gratiam sanctificantem, gratias gratis datas, donum scilicet Prophetie, donum linguarum, sanitatis, vel aliorum miraculorum (sive deinde in concreto hæc talia emat, aut vendat; emendo v. g. cariore pretio rem aliquam temporalem, quæ pretiosa tamen est ob talem gratiam annexam; sive in abstracto talia vendat vel emat, emendo scilicet potestatem ministerialem talia conferendi, quod Simon Magus oblatâ Apostolis pecuniâ, obtinere voluit) qui emit vel vendit Sacramenta, Sacrificium Missæ &c. nisi extrema necessitas urgeat, contra eum, qui non vult gratis administrare hæc talia, non tam, ut ematur Sacramentum, quàm ut removeatur impedimentum pravæ voluntatis, & avaritiæ alterius. Et denique qui emit, aut vendit Sacramentalia, ritus scilicet aut ceremonias pro administratione Sacramentorum institutas, consecrationes, benedictiones, &c. temporale aliquid, ut pretium pro illis exigendo, aut dando, nisi præcisè in Sacramentalibus permanentibus materia, cui consecratio supervenit, pretio æstimabilis, ut talis vendatur.

## §. II.

*De Simonia, que committitur circa ordines, eorumque collationes & præsentationes ad ordines.*

**E**Tiam hæc emere, vel vendere esse juris divini Simoniam, ex dictis patet, cum sint actus quidem naturales, ex institutione tamen Christi ad ordinem & finem supernaturalem ordinati, &

principium insuper habent, ex quo procedunt, supernaturale, ita ut nec Episcopi, pro ordinibus conferendis, nec eorum ministri (saltem de jure Ecclesiastico) pro instrumentis, & literis deo per conficiendis, aut alij quicumque pro præsentatione ad ordines, quidem ex pacto possint exigere, & juxta Tridentinum pro his functionibus, uti & pro literis dimissorialibus concedendis, nihil gratis etiam oblatum, accipere, ad tollendam scilicet omnem avaritiæ sospicionem ab ordine Ecclesiastico, ut ait Trident. sess. 21. c. 1. de refer. ubi tamen etiam Notarij excipiuntur, quibus decima pars unius aurei pro singulis testimonialibus, aut dimissorialibus scribendis conceditur, in illis tamen locis, ubi laudabilis consuetudo, ut ait Concil., non viget, nihil accipiendi, & ubi certissimum salarium non habent pro officio suo exercendo.

## §. III.

*De Simonia, que committitur circa divina officia, ac officium prædicationis, & an Ecclesia eum vel redimi possit?*

**E**Mere hæc talia divina officia, ut sunt etiam orationes publicæ, publicæ processiones, Litanie publicæ, &c. officium prædicationis, vel exaltationis spiritualis, temporale aliquid pro his ut pretium, ex pacto dando, vel accipiendo, &c. Simonia juris divini est: sed non Ecclesia, aut jura illius emi dicto modo, aut redimi possunt absque Simonia verò. *Querelam. 15. h. 2.*



§. IV.

De alijs varijs actibus, & rebus spiritualibus, vel spiritualibus annexis pro quibus temporale dare aliquid, aut accipere, etiam specialiter prohibitum est jure Canonico?

**E**Xc. Non satis 8. h. 2. habetur, quod ab illis, qui in religionem transire volunt, nulla pecunia ex pacto exigenda sit, pro admissione; nec Prioratus, aut Capellanæ Monachorum, vel Clericorum, annua distractione vendi possint; nec ab eo, cui regimen talium committitur, pretium pro tali commissione extigi, & pro sepultura, christiatis, aut olei benedictione, nulla cujusquam pretij exactio, attentari possit. Quæ ipsa etiam sub Simoniæ peccato, ut ne quidquam pro immisionem in possessionem Ecclesiarum, ac beneficiorum, per modum pretij, & ex pacto accipiatur, in alijs varijs capitulis prohibetur. Videatur c. Cum in ecclesia 9. c. Cum sit 10. c. Ea, qua 16. c. in tantum 36. h. 2.

§. V.

An exigere aliquid temporale pro re spirituali ratione consuetudinis excusari possit à vitio Simonia?

**Q**uod nulla consuetudine excusari possit, ut pro spirituali, temporale aliquid, ex pacto, per modum pretij exigatur, vel accipiatur, certum est, cum hoc sit contra jus naturale, & divinum, quod autem piæ consuetudines observanda sunt, & per Episcopum compe-

sci debeant illi, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem mutare ex c. Ad apostolicam. 42. h. 2. habetur, & consequenter, ubi pia fidelium consuetudo, erga sanctam Ecclesiam devota, introduxit, ut illis qui divina administrant, temporale aliquid, in subsidium sæpius sustentationis, liberè & sponte offeratur, ac datur, observanda illa est, & ab Episcopo etiam observatio talis urgeri, vi juris ab Ecclesiæ acquiriti, ex assententia SS. Canonum, ita tamen, ut non valeat consuetudo, per quam tempore Collationis Sacramenti v.g. vel alterius rei spiritualis ab initio detur aliquid, ne detur occasio negandi talia spiritualia, si talia temporalia non dentur, quæ Simoniaca esset avaritia; & ne videatur à talibus exactioibus introducta fuisse talis consuetudo, quæ & ipsa simoniaca esset, cum initium haberet Simoniacum; & ne videantur temporalia talia pro spiritualium administratione ab invitis extorqueri, quod iterum Simoniam sapit, de quibus consuetudinibus jura loquuntur, cum consuetudines prohibent, & reprobant, quibus pro spiritualibus, temporalia exiguntur, aut accipiuntur.

SECTIO III.

De Simonia, quæ committitur in actibus jurisdictionis Ecclesiastica, & in ingressu sive admissione ad religionem.

§. An



## §. I.

*An actus pertinentes ad jurisdictionem spiritualem seu ecclesiasticam fori interni, vel externi sint materia Simonie.*

**R** Affirmative, & primò quidem Simonia est juris divini & naturalis, dare vel accipere pretium, vel aliquid temporale, pro actu quolibet fori interni conscientie, seu pertinentis ad curam animarum, pro absolutione v. g. impetrenda confessis, pro audiendis confessionibus &c. prout sumitur ex *c. Nemo 14. §. Nec quemquam b. 1.* five deinde ex delegata potestate talis tantum egerit, five ex ordinaria, five pro delegatione talis potestatis fuerit pretium, aut temporale quid exactum, five pro ipsa absolutione, five fuerit exactum tale quid pro absolutione à peccatis, five pro absolutione à censuris, *c. ad aures 24. b. 1.* five pro concedendis indulgentiis, pro dispensationibus in præceptis ecclesie &c. exigatur aliquid temporale, ut pretium.

Secundò Simonia est juris divini & naturalis, jurisdictionem ecclesiasticam fori externi, five delegata illa sit, five ordinaria, pro pretio temporali emere, aut vendere, uti colligitur ex *c. Consulere 38. b. 1.* & ratione probatur, quòd tali casu spirituale aliquid, five supernaturale ratione finis, ad quem ordinatur, vedatur vel ematur! Imò Simonia est, pro quolibet actu jurisdictionis ecclesiasticæ voluntarie pretium accipere, pro dispensatione v. g. in voto, juramento, impedimento matrimonij &c. quia etiam hæc potestas dispensandi, spiritualis est; & hinc quod nonnunquam juxta stylum

Curie Romanæ pro his dispensationibus, præsertim circa impedimenta matrimonij, exigitur, exigitur non in pretium dispensationis, sed per modum mulctæ v. g. per quam competeret accessus à lege communi, ad præmissam applicandæ, aut in vim sustentationis, & onerum ferendorum &c.

Tertiò Simonia est, si pro actu jurisdictionis contentiosæ ecclesiasticæ, pretium detur vel accipitur, ut patet ex *can. Vendentes 10. Can. 1. §. 3.* nisi precisè detur tale aliquid ad redimendam injustam vexam, cum in tali casu non tam detur, pro actu spirituali, quàm pro tollenda injusta vexatione.

Quartò denique Simonia est jurisd. divini, exigere aliquid temporale pro actibus jurisdictionis ecclesiasticæ, quia illa, etiam si hiversentur circa materiam mere temporalem, & politicam, super his v. g. inter Clericos mota, cum etiam illi actus ab ecclesiastica, & spirituali potestate procedant.

## §. II.

*An sit simonia, pretium vel aliquid temporale dare, vel accipere pro impensione actus jurisdictionis ecclesiasticæ, vel alterius actus spiritualis?*

**D** Are alicui temporale aliquid, ut abstineat ab actu spirituali, quæsi injustè, sacrilegè vel simoniacè potestatus esset, non est simonia, cum talis pretio non inducat alterum ad aliquid spirituale agendum, sed tantum ad aliquid quam injustitiam v. g. omittendum; & hinc non est simoniacum, dare Eleo-



horibus pecuniam, ne indignum Prælatum eligant. Quod si pretium temporale detur, propter omissionem spiritualis jurisdictionis hinc & nunc necessarium ponenda, dependenter à potestate Ecclesiastica, ad omittendam v. g. absolutionem, post auditam alterius confessionem, simonia est, juxta *cit. c. Nemo 14 h. t.* quia moraliter loquendo talis non tam omittit actum absolutionis, quam ligatum retinet, & reprobatur declarat, qui sunt actus jurisdictionis, juxta *reg. Juris 121. in ff.* ubi dicitur, *qui non facit quod facere debet, videtur facere adversus ea, quia non facit &c.* Si tamen pro omissione actus spiritualis, non tamen jurisdictionis spiritualis detur, aut accipitur aliquid, quamvis ex officio ad illud faciendum teneretur aliquis, ita tamen, ut omisso talis nullum effectum spiritualem moraliter post se relinquat, ut cum datur sacerdoti pecunia ad omittendas horas Canonicas, ad non audiendas confessiones &c. non est simonia, cum omisso talis non sit factum aliquid, vel spirituale.

§. III.

*Utrum dare vel accipere aliquid temporale pro ingressu, sive admissione in religionem sit simonia:*

Datum jam supra juxta *c. Non satis 8. h. t.* simoniam esse dare vel accipere aliquid, ut pretium, pro ingressu sive admissione ad religionem, interveniente pacto aliquo, cum ingressus hic, tam ratione principij admittentis ad religionem, quam ratione finis, quia ordinatur ad salutem animæ, sic spiritualis, admittere tamen aliquid, vel etiam exigere

*Compend. Pirhing.*

temporale aliquid à persona ingrediente, ratione sustentationis, nec illicitum, nec Simoniacum est, si monasterium v. g. inopiam patiat, & regula ordinis hoc non prohibeat; & quamvis putent aliqui, si monasterium v. g. dives sit, sine simoniæ (saltem juris Ecclesiastici) vitio nihil, etiam ratione sustentationis, peccari posse *c. Veniens 19. & c. Dilectus 30 h. t.* putant tamen alij, consuetudinem contrariam non reprobendam, ut simoniacam, cum sit consuetudo pia, & utilis ad plures in obsequio religionis alendos, prout etiam colligi potest ex *Extravag. sane 1. h. t. inter communes.* ubi tantum abusus aliqui, qui sæpius in admissione tali interveniunt, in prandijs, seu cænis instruendis, pecunijs distribuendis &c. reprobantur.

§. IV.

*De alijs modis, quibus committitur Simonia in ingressu religionis, ejusque penis.*

Videantur de his *c. Veniens 19. c. De Regularibus 25 c. Dilectus 30. c. Quoniam 40 h. t. & Extravag. sane 1. eodem inter Communes.* ubi plura de penis simoniæ taliter commissæ in admissione, & receptione ad religionem statuuntur, quorum usus quia rarus est, explicata hæc capitula videri possunt apud Auct. Metho. hoc §.

SECTIO IV.

*De simonia, quæ committitur in beneficiis ecclesiasticis, & circa officia Ecclesiæ temporalia.*

Zzz z

§. Utrum



## §. I.

*Utrum simonia, qua committitur in venditione beneficiorum Ecclesiasticorum sit contra jus divinum, an verò solum contra jus positivum seu Ecclesiasticum?*

**D**UO in beneficijs distingui debent, jus exercendi spiritualia ministeria, quod propriè officium vocatur; & jus percipiendi fructus, seu emolumenta temporalia, quod communiter præbenda dicitur, ita ut beneficij nomine sæpius utrumque hoc jus contineatur. Jus exercendi spiritualia ministeria emere vel vendere pro pretio temporali, juris divini simoniam esse, nemo dubitat; jus tamen percipiendi redditus, seu emolumenta temporalia beneficij, officio annexum, dicto modo emere aut vendere, putant aliqui, juris tantùm Ecclesiastici positivi simoniam esse. Probabilius tamen videntur sentire cum S. Thoma communiter Theologi, emere vel vendere hoc jus etiam percipiendi temporales redditus beneficij, quatenus annexum est, juri spirituali, ministeria spiritualia exercendi, Simoniam juris divini esse, ita ut nec in tali emptione, aut venditione dispensare possit Summus Pontifex, nec ipse talem venditionem facere possit, prout non tantum plura SS. Canonicum jura probant, sed ratio etiam communiter recepta, quòd jus scilicet percipiendi taliter redditus, sit quidem secundum se temporale quid & pretio æstimabile, quia tamen fundatur in officio spirituali, & huic ita annexum est, ut nulli alij nisi Clerico ad spirituale ministerium destinato competere possit, tanquam debi-

tum sustentationis stipendium, contra quenter qui vendit illud jus temporale vendit etiam hoc jus spirituale, sine quo alterum non obtinetur, & quod contra quenter priori annexum est, ita ut in casu illa Juris regula locum habeat. *Can. si quis 7. caus. 1. q. 3. de simonia. Quisquis horum alterum vendit, sine quo alterum non provenit, prout inveniuntur derelinquit.* Quod tamen ita intelligi debet, nisi ipsa horum per legitimam actionem fuerit facta separatio; si enim Summus Pontifex, qui solus, tanquam legitimus beneficiorum Ecclesiasticorum administrator separate hæc jura à se invenire potest, redditus sive jura ad hoc redditus, non jam ut fructus debitos pro sustentatione officij Ecclesiastici occupat, sed propter aliam civilem & politicam causam, alicui concedat, quod licet potest absque simoniarum periculo, certum jura hæc separasse, & consequenter eorum, quod temporale est, vendi potest in tali casu, vel emi, abique eo, ut dicitur, quod spirituale est, vendi non censetur.

## §. II.

*Quibus modis committitur simonia in collatione beneficiorum dicitur de Prelaturis, & alia beneficia Ecclesiastica.*

**P**rimò certum est, quòd committitur simonia, si pro beneficij ecclesiastici collatione, inductione, sive institutione in possessionem collati beneficii pro institutione in beneficio, expensæ aut detur pecunia, vel aliud quid temporale, cum actus hi sint actus ministerij spiritualis ecclesiastici, & dando pecuniam



nam non redimatur vana iuris spiritualis jam quasi, sed querendi primum, prout habetur etiam ex c. *Audivimus* 41. & ex c. *Ne Dei* 43. h. 1.

Secundò patet ex c. *Ex diligenti* 17. h. 1. homagium prestare pro beneficio obtinendo, Simoniacum esse, cum res temporalis, obsequia scilicet, pro spirituali detur. Neque huic obest, quòd omnes Clerici, quando recipiunt à Prælati beneficià, fidelitatis juramentum eis prestare debeant, quia per tale juramentum non obligatur Clericus ad servitia temporalia prestanda Prælati, sicuti obligatur per homagium, quo fit vassallus & subditus illius, cui homagium prestat.

Tertiò committitur Simonia, si pro temporali obsequio promittitur beneficium Ecclesiasticum. c. *Cum essent* 12. h. 1. quamvis enim spe obtinendi ab aliquo beneficij, aut præsentationis servire possit alicui aliquis, modò nulla pactio interveniat, ob promissum tamen beneficium obtinendum servire alicui, Simoniacum est, cum sine pacto vendendi taliter & emendi pro obsequio temporali beneficium spirituale, hoc non fiat.

Quartò committitur Simonia in electionibus ad Prælaturas, non tantùm, si pecunia detur pro electione certæ ac singularis personæ, quamvis illa dignissima esset, sed etiam, quando ex pacto dant sibi invicem mutua suffragia, quando pecunia alicui datur, ne consentiat in electionem alicujus (non quidem, quando præcisè datur, ne eligatur indignus, quia ut sic nihil temporale datur pro spirituali, sed procuratur tantùm bonum

Ecclesiæ) quando pecunia datur pro obtinenda confirmatione, præsentatione, &c.

### §. III.

*Quomodo Simonia committitur in receptione Canonicorum?*

**B**ona sua offerre Ecclesiæ, cum pacto, ut recipiatur in Canonicum, & bonis his, ut Canonicus frui possit, dum vivit pro præbenda, Simoniacum est. c. *Tua nos* 34. h. 1. Si verò purè, & sine pacto, bona sua Ecclesiæ quis offerat, & roget tantùm humiliter, ut in Canonicum se recipiant, & sibi hæc bona, dum vivit, pro præbenda relinquunt, receptio talis in Canonicum Simoniacæ non est, (nisi intentio prava offerentis Simoniam faciat) cum in priore casu, ex pacto in Canonicum talis, pro re temporali oblata, recipiatur, non autem in posteriore casu: & quamvis de jure etiam alia prohibeantur in admissione ad Canonicatus, ea tamen multùm urgere, esset damnare receptam in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis nostræ Germaniæ consuetudinem, quæ viget scientibus & tacentibus Episcopis.

### §. IV.

*An electio, presentatio, confirmatio, collatio, vel quævis alia provisio beneficij Simoniacæ, sit ipso jure irrita?*

**E**lectio, presentatio, collatio, confirmatio, seu quævis alia beneficij provisio, per Simoniam facta, non quidem

Zz zz 2



dem jure naturæ irrita est, sed jure Ecclesiastico, sive Simoniâ ab ipso electo, sive ab alio, electo tamen v. g. sciente, & non contradicente, facta sit, c. *Matthæum 23. h. t.* Imò ex c. *Ex insinuatione 26. h. t.* patet, irritam esse provisionem talem Simoniâ (de jure Ecclesiastico) si ignorante etiam electo facta sit, prout etiam probatur ex c. *Nobis 27. h. t.* & *Extravag. cum detestabile 2. h. t. inter communes.* cùm in tali casu puniatur non tam Simoniâ promotus, qui de Simoniâ hac sibi facta provisione tum nihil scivit, quàm Simoniâ provisio.

## §. V.

*Quando electio, vel collatio beneficii Simoniâ facta ignorante electo, vel provisio, non est irrita?*

**D**uo communiter casus referuntur, in quibus electio v. g. simoniâ facta, ignorante tamen electo, non est ipso jure irrita. Primò scilicet, si ab alio, ignorante electo, pecunia v. g. promissa, aut data est in fraudem eligendi, ut ne scilicet electio illius vim aliquam haberet, juxta cit. c. *Nobis* cùm in tali casu malitiis hominum indulgendum non sit, & nemo alterius odio prægravari debeat. Secundò, si electus v. g. contradicat promissioni, aut dationi Simoniâ ab aliis, ignorante tamen eo, factæ, c. *Sicut 33. h. t.* ne alterius factum, quod non scivit, & sufficienter contradicendo præcavere studuit, illi præjudicet.

## §. VI.

*An, & quatenus licitum sit dare vel accipere pecuniam ad redimendam vexationem in beneficiis, vel non sit licitum?*

**T**res communiter regulæ etiam rem conducentes traduntur à D. Prima est, quòd post jus acquisitionis beneficio per legitimum electum vel postulationem, confirmationem, institutionem, vel collationem, non sit Simoniâ, pecuniâ, vel alia re pretio adhibita redimere vexationem, quæ ad jus in beneficio tollendum injulè inferatur, quæ qui dat in tali casu pecuniam, non dicit illam pro re spirituali oblatam, quam jam habet, sed pro tollenda injulè vexatione, ut colligitur ex c. *Dilectum 21. h. t.* Secunda regula est, quòd pro jure reddendum acquisito in beneficio, sed pecunia acquirendo, non liceat abique Simoniâ vitio, pecuniâ oblatâ, redimere vexationem, etiam injustam, ab eo, qui tantùm obesse, sed etiam prodeffe potest, dando scilicet, juxta postulationem quam habet, spirituale illud, quod reddendum erat, quia talis intentio per rituale sibi acquirere per impediendum, & viam sibi per hoc impediendum aperire ad spirituale acquirendum, prout colligitur ex c. *Matthæum 23. h. t.* Quod si tamen, quæ tertia regula est, talis pretium temporale ad vexationem injustam impediendam datur, obesse quidem posset, nihil tamen ad spirituale reddendum prodeffe, seu conferre, non esset Simoniacum, dare illi pecuniam v. g. ut nocere desinat, quia in tali casu





nam tantum tuam v. g. conservare, & injustas præcisè machinationes contra te impedire velle, censendus esses.

§. VII.

*De Simonia confidentiali, sive qua committitur in resignationibus, & provisionibus beneficiorum. spe & confidentià factis.*

**S**imonia confidentialis est certa species Simoniæ, ab alijs distincta, à spe & fiducia, quæ ei subest, sic dicta, & jure humano positivo inducta, à Summis Pontificibus Pio IV. & V. in materia beneficiorum, quæ tum committitur, cum quis procurat alicui beneficium Ecclesiasticum, cum certa confidentià, ex pacto scilicet expresso, vel tacito, quod postmodum hoc ipsum beneficium sit ipsi procuranti, vel alteri, cui voluerit procurans, cessurus, aut pensionem aliquam, sive fructus ex eo præstiturus. Potest autem talis in beneficijs Simonia confidentialis triplici adhuc modo committi. Primò per accessum, quando quis beneficium resignat, aut procurat alteri, ut obtineat illud, dum alter, cui beneficium hoc collatum vellet, ob defectum ætatis, aut alterius impedimenti Canonici, cujus modò capax non est, ætatem requisitam acquirit, aut impedimentum amoveretur, ita ut hic inhabilis modò postmodum jus habeat, propriâ auctoritate beneficium illud accipiendi. Secundò per regressum, quando quis beneficium, quod modò possidet, cedit alteri, eâ tamen conditione, ut sibi reservarum velit jus ad illud redeundi, si ille, cui cessio facta est, præmoriatur v. g.

Tertiò per ingressum, ut cum quis beneficium sibi collatum, nondum tamen possessum, renuntiat alteri, eâ tamen conditione, & pacto, ut jus habeat illius beneficii possessionem ingrediendi, & capiendi, si alter huic beneficio cedere debeat. In quibus casibus, si quis jus ad tale beneficium accedendi, regrediendi, aut ingrediendi, sine expressa licentiâ Papæ sibi reservat, Simoniam committit confidentialem, ita ut non tantum invalida sit collatio, seu resignatio talis beneficii, in quo commissa est talis Simonia, sed Simoniacus confidentialis priveretur (post sententiam Iudicis) omnibus beneficiis & pensionibus prius obtentis, & ad quævis alia beneficia obtinenda inhabilis sit.

§. VIII.

*De Simonia, qua committitur in pensionibus solvendis ex bonis Ecclesiasticis.*

**S**unt aliquæ pensiones, quæ ex bonis quidem Ecclesiasticis eximuntur, & Laicis propter ministerium aliquod temporale, vel propter aliam justam causam conceduntur, has tamen, cum spirituale nihil contineant, emere vel vendere, nulla Simonia est. Quæ verò Clericis nunquam solvuntur, ob spiritualia quædam ministeria, ab his præstanda, Capellani v. g. aut chori Vicariis, &c. sine Simonia pro pretio temporali vendi, aut emi non possunt, cum fundentur in spirituali obligatione, non minus, ac alia beneficia. Illæ autem, quæ Clericis quidem, quæ talibus, solvuntur, non tamen ob spirituale ministerium, sed ob aliam



causam, Parocho v. g. seni, ad sustentationis auxilium, titulo Eleemosynæ, &c. quavis de jure antiquo communi sine Simoniz vitio emi & vendi possent, spectando tamen stylum Curiz Romanæ post Bullam Pij V. Simoniacum est, si emantur aut vendantur illæ, cum ex decreto Pij V. obligationem recitandi officij B. Virginis annexam habeant.

## §. IX.

*De Simonia, quæ committitur circa officia Ecclesie temporalia.*

**S**pectato jure naturali Simonia non est talia officia pro pretio temporali sibi comparare, cum nihil in se spirituale hæc officia habeant, nec ordinentur ad spirituales actiones, de jure tamen Ecclesiastico Simonia est, hæc talia pro pretio temporali emere vel vendere, c. *Consulere 28. h. 1.* Sunt enim conjuncta cum factis, quæ curant, si tamen solis Clericis ea conferri soleant, & nisi per contrariam consuetudinem huic prohibitioni juris Canonici fuerit derogatum, Functiones tamen talium officiorum vendere aut emere, Simoniacum non est, cum nullum habeatur jus Ecclesiasticum, talium functionum emptionem vel venditionem prohibens.

## SECTIO V.

*De pretio Simoniaci, eiusque divisione.*

## §. I.

*An pretium Simoniacum necessario debeat esse temporale quid, non spirituale; & quando temporale, quid dicitur habeat rationem pretij, respectu spiritualis, quæ vicissim datur;*

**P**retium Simoniz spectato jure naturali & divino, necessario debet esse quid temporale, nec sufficit spirituale, quia malitia Simoniz in hac injuria rei temporalis cum spirituali comparatione & æstimatione consistit; & hæc virtuale permutare pro spirituali non est Simonia juris divini, jure tamen Ecclesiastico prohibita est, sub Simoniz peccato, permutare inter se propria voluntate beneficia Ecclesiastica, sine Superioris auctoritate. Neque Simonia est juris divini, aut naturalis, si res pretio æstimabilis gratis, & liberaliter donatur illi, aut detur, qui spirituale beneficium, aut officium præstitit, ut habetur in *can. Licet 4. cau. 1. q. 2.* sive detur tale donum temporale post spirituale præstitum, sive detur ante illud, quia in tali casu non datur temporale, ut pretium rei spiritualis, & ex injustitia debicum; sed et donum liberale, & gratuitum, quævis in foro externo, quando præcedunt temporalia munera, plerumque permittitur Simonia (licitum tamen non est, sed Simoniacum, obligationem antidoralem gratitudinis in peccatum deducere, specialiter promittendo implere illam) multo minus Simonia est pro spiritualibus ministerijs accipere, aut dare aliquid temporale, pro sustentatione talia



talis personæ, quamvis ex pacto detur, quamvis ille, qui accipit, non indigeat hoc temporali tanquam sustentationis stipendio, cum ex suis patrimonialibus sufficienter instructus sit. Neque simonia est dare aut promittere alicui temporale aliquid per modum retributionis, seu compensationis, ut inducat alterum ad spirituale aliquid, ut si quis promittat infideli, se daturum temporale, si fidem veram suscipiat &c. neque enim in tali casu primum est, quod intenditur, rei temporalis cum spirituali comparatio, tanquam pretij convenientis, sed est liberalis donatio sub certo tamen modo, ad quem alter inuitatur, facta. Neque denique simonia proprie loquendo est absque pacto expresso vel tacito temporale pro spirituali dare vel accipere, cum possit in tali casu, tale quid admitti, ut eleemosyna &c.

§. II.

*Quanam circumstantia consideranda sint, ut cognoscatur, an munus ali-  
quod temporale habeat rationem simoniacè  
dati pro re spirituali, vel non  
habeat?*

**E**X c. *Etsi quæstiones 18, l. 2,* habetur, quod in foro externo ex circumstantijs dijudicandum sit, an temporale, quod datur, simoniacè detur, maximè, si pactum intercesserit, & nulla causa subsit, ex qua cohonestari possit talis datio. Et hinc dicit Pontifex in cit. c. tria potissimum attendenda esse, ad di-  
gnoſcendum, utrum gratuitò, vel per modum pretij temporale datum sit. Pri-  
mò qualitas personæ dantis & recipien-  
tis, an sit dives, an pauper, nobilis an

ignobilis &c. (de illis enim gratuita do-  
natio præsumi potest) ad quam præ-  
sumptionem multùm etiam iuvat vitæ  
integritas, morum honestas, vinculum  
amicitiæ &c. Secundò putat Pontifex  
considerandam circumstantiam quanti-  
tatis, magnum scilicet an parvum sit do-  
num, respectu dantis & accipientis &c.  
ita tamen, ut facillius excusetur à simo-  
niæ præsumptione, comestibilia, aut  
potabilia, in modica quantitate data,  
quàm pecunia. Tertio denique consi-  
derandam putat Pontifex circumstan-  
tiam temporis, sive occasionem datio-  
nis, (si enim urgente necessitate tempo-  
rale quid detur, ad subveniendum potius  
necessitati tale datum præsumitur,  
quàm ad emendam rem spiritualem) utrum  
detur ante receptam rem spiritualem,  
vel in ipsa receptione, vel  
post illam receptam, ubi gratitudo lo-  
cum habet. &c.

§. III.

*Quotuplex sit pretium simoniacum?*

**T**Riplex communiter in jure Simo-  
niæ pretium asseritur, munus à ma-  
nu, munus ab obsequio, & munus à  
lingua. Munus à manu censetur pro  
spirituali dari, non tantùm, quando ad  
hoc obtinendum pecunia, aut alia res  
materialis, sive mobilis illa sit, sive im-  
mobilis, sive corporalis, sive incorpo-  
ralis, uti sunt varia jura &c. datur, sed  
etiam quando debitum remittitur, aut  
solutio hujus differtur, quando mu-  
tuum datum, quando promittitur de-  
biti



biti remissio, aut solutionis dilatio &c. Munus obsequio censetur pro spirituali dari, quando servitia seu obsequia temporalia pro spirituali obtinendo ex pacto præstantur. Neque tamen ad conciliandū illius gratiam, qui potest dare beneficium v. g. vel aliud spirituale, si quis gratis ei inserviat, simoniam committit, etiamsi ille spirituale tale quid concessit ab obsequijs motus, modò nullum pactum (saltem implicitum) intervenit. Per munus denique à lingua intelliguntur, laudes, commendationes, & preces v. g. quæ pro aliquo apud Principem v. g. interponuntur, cum pacto, ut sibi pro talibus linguarum commendationibus v. g. spirituale quid detur.

### SECTIO VI.

#### De iudicio sive processu iudiciario in crimine simonia.

##### §. I.

Quis sit iudex competens in crimine simonia, & quis accusare possit de hoc crimine, & qui accusari; item quomodo crimen simonia probetur?

**I**udex competens huius criminis iudicandi est solus iudex Ecclesiasticus, etiamsi, qui crimen hoc commisit, sit laicus, cum crimen hoc sit merè Ecclesiasticum, circa objecta, & res spirituales versans, prout habetur etiam ex communiter recepta Glossa in c. Cum sit 8. de oro competent. V. Malefacti oves.  
f. Potest autem quilibet Catholicus, etiam servus, & criminosis de hoc cri-

mine simonia, quemlibet simoniacum tam dantem, quam accipientem, modò non ignoraverit, aut in vitium fuerit ad Simoniam pro se facienda, & acculare, non quòd ob criminis huius atrocitatem, quilibet ad accusandum merito adhiberetur, tum quòd hoc ipsum iam concedant, c. si Dominus 3. h. t. ita respondente accusatione Simoniaci, accusator de ea, celebrare non possit, donec ea constituerit, c. accusatum 4. h. t. B. Quosies 5. eodem. Probatum autem Simoniam iisdem modis, quibus alia crimina probari solent, per Simoniaci confessionem, per testes, & per instrumenta authentica, ita tamen, ut in hoc crimine sufficiant ad condemnandum probationes, quæ sunt per signa evidentia, & conj. cturas, prout habetur in c. sicut. 6. h. t. statuerit hoc Summo Pontifice ob atrocitatem, & gravitatem huius criminis,

##### §. II.

An & quando criminosis admittatur ad testimonium servandum in crimine simonia?

**Q**uòd contra simoniacos in iudicio admittantur, si modò non sint in causa capitales inter testes tales, & cum sciant quem de crimine simoniae, testimonium terre debent, neque conspiraverint in hunc, ex c. licet Helz 31. h. t. patet, cum in Simoniam non aliter, ac in heresi procedatur, & in crimine heretice iniquitatis, quæ crimina tam in ordine ad accusandum, quam testimonium inter se acquiparantur, Cuius adhuc habetur, quòd criminosis ad testificandum in crimine



Simonia sint admittendi ex c. Per tuas. 32. h. t. Videatur fufior utriusque hujus capituli explicatio apud *Auct. Meth. h. t.*

SECTIO VII.

De pœnis Simonia, ac dispensatione in illa.

§. I.

An pœna jure decretæ incurrantur propter quamlibet Simoniam, & in quacunque materia fiat?

PRImò certum est, nullam pœnam incurri propter Simoniam merè mentalem, si ea purè interna sit, aut exterius non sit ex utraque parte completa, cum actus merè interni non cadant sub jurisdictionem Ecclesiæ directæ. Secundò satis certum est, nullam etiam juris positivi pœnam ipso facto incurri, propter Simoniam merè conventionalem, quæ scilicet non est completa ex utraque parte, exceptâ Simoniâ confidentiali, sicuti enim SS. Canones, dum pœnas in Simoniacos statuunt, non loquuntur, de conventionibus tantum, sed de dantibus & accipientibus temporale pro spirituali, neque sunt ultra verborum proprietatem in materia pœnali extendendi, sic in Simonia confidentiali etiam conventiones propriâ auctoritate factas suis pœnis afficiunt Pontifices. Nec propter Simoniam realem ex utraque parte completam, incurrantur pœnæ à jure statutz, ipso facto, præter illam, quæ committitur in ingressu religionis, susceptione ordinum, aut admissione beneficiorum; quavis enim in jure mul-

tæ pœnæ statuuntur in Simoniacos non tamen omnes in quolibet casu ipso facto incurrantur, sed illi tantum juxta clara verba juris, qui Simoniam committunt in ingressu in religionem, susceptione ordinum, vel beneficiorum. Comprehenduntur tamen pœnis à jure statutis etiam illi, qui occultam Simoniam committunt, juxta *extravag. Detestabile 2. h. t.* inter communes, & qui juris Ecclesiastici Simoniam tantum committunt, quæ sit in perauktionibus beneficiorum sine Superioris auctoritate factis. *c. 5. & 7. de rerum permutat. & c. de hoc 11. h. t. & juxta cit. Extravag. eodem.*

§. II.

An & qualiter incurratur pœna excommunicationis propter simoniam commissam in ordine, vel beneficio?

INcurri ipso facto tam ab ordinante, quam ab ordinato, pœnam excommunicationis Papæ reservatam, si ab his simonia realis & completa in ordine conferendo committatur, *ex cit. Extravag. 2. patet §. statuentes.* ita ut nomine ordinum in hac materia veniant tam minores, quam sacri ordines (cum jura universaliter loquantur de Ordinibus) etiam prima tonsura, & si quæ simonia committitur, in impetrandis Dimissorijs, quæ sunt dispositiones ad ordines: qualis excommunicatio Papæ reservata etiam incurritur, propter simoniam realem, & utrinque completam, in beneficijs, electionibus, presentationibus, collationibus, confirmationibus &c. statim beneficia propriè dicta illa sunt, & non sunt tan-



tumpensiones, aut officia &c. & non excuset ignorantia.

## §. III.

*An & qualis suspensio contrahatur per simoniam commissam in ordine, vel beneficio.*

Ordines conferens per simoniam completam, spectato jure communi Decretalium, ipso jure est suspensus à collatione quorumcumque ordinum, saltem per triennium, ut patet ex c. *Si quis 45. h. t.* & qui simoniam commisit praesentando ad ordines, ad certum tempus suspensus est ab executione ordinum; ordinatus vero per talem simoniam suspensus est ab ordine sic suscepto, donec à sede Apostolica cum illo fuerit dispensatum, nisi sine culpa ab ipso commissam, simonia intervenisset c. *De simoniace 22. h. t.* cum nulla debeat imponi poena, ubi nulla culpa est. Severius adhuc simoniace ordinantes, & ordinatos punit Sixtus V. in suo motu proprio, & contra eos loquitur *Glossa hinc V. remanere.* hodierna tamen praxis non videtur rigores hos recipere.

Qui vero beneficium obtinet per simoniam commissam & completam, nullam quidem suspensionem propriè dictam incurrit, nec conferens illud, nec accipiens, cum in jure nulla expressa sit, quia tamen excommunicatus est, consequenter ab omni etiam officio, ordine, & beneficio suspensus est, donec ab excommunicatione absolvatur.



## §. IV.

*An praeter praedictas censuras sit alia poena Canonico jure decreta in Simoniacos?*

Sunt & aliae poenae, & quidem plures, quia tamen poenarum talium ratio praxis est, eò quòd Simonia va hodie locum pluribus videatur habere, hinc ad Auct. Method. eum remitto, qui poenarum harum cupit habere notitiam. Vt etiam §. 5. videre est, quis in his poenis dispensare possit.

## SECTIO VIII.

*De obligatione restituendae ea, qua per Simoniam sunt accepta.*

## §. I.

*An, & cui pretium Simoniacè acceptum sit restituendum?*

Qui accipit pretium temporale pro spirituali, pro sacro v. g. calice, reliquijs auro & argento ornatis, Simoniacè quidem, non tamen iniuste, eò quòd jus temporale annexum v. g. spirituali, suam aestimabilem pro pretio commoditatem habeat, non tenetur de jure naturali, aut divino, ad ullam restitutionem faciendam, modò quòd Simoniacè accepit, rei temporalis spirituali aemulatae aestimabilitatem non excedat, eum in tali casu graviter quidem contra religionem peccetur, non tamen contra iustitiam, obligatio autem restituendae oritur precisè ex laesa iustitia. Si tamen non restituerit



tum Simoniacè, sed etiam injustè (in casu scilicet, in quo res spiritualis nullam commoditatem temporalem affert) pro temporali rem spiritualem vendidit, ille jure divino & naturali ad pretium, quod accepit, restituendum, obligatur, non quidem præcisè, quòd Simoniam commiserit, sed quòd læserit justitiam commutativam (pretium accipiens pro re, cujus nulla temporalis commoditas est) ex qua oritur restituendi obligatio; & quidem in hoc casu Simoniæ restitutio pretij injustè accepti fieri debet, ante sententiam Iudicis, illi, qui dedit hoc pretium, cum ut sic injuria alteri facta reparetur, ad cujus reparationem justitia obligat, in priore verò casu Simoniæ admittæ, potest Simoniacus per judicem Ecclesiasticum condemnari ad restituendum pretium Simoniacè acceptum Ecclesiæ, vel alijs pijs causis, prout etiam emptor rei spiritualis, qui pretium temporale pro re spirituali dedit, in pœnam delicti, sive Simoniæ admittæ, privati potest pretio solvendo, per sententiam judicis, & hoc Ecclesiæ, vel alijs pijs causis applicari.

§. II.

*An pretium Simoniacè acquisitum contra prohibitionem juris Ecclesiastici restitui debeat in foro conscientia, etiam ante sententiam, & condemnationem judicis & cui?*

**S**I quis pretium temporale accepit pro collatione, electione, confirmatione, vel renuntiatione, etiam ex vi juris Ecclesiastici ante omnem sententiam judicis restituere acceptum pretium debet, & De hoc. 11. h. t. (jure scilicet impe-

diente, quò minus pretij sic accepti dominium acquirere possit) & quidem juxta probabilem sententiam illi Ecclesiæ restitutio facienda est, in qua est beneficium Simoniacè collatum, cui per talem collationem v. g. injuria facta fuit.

Si tamen Simonia commissa sit in admissione ad religionem, pretium datum, de jure positivo, ante sententiam Iudicis, restituendum non est, si admittus in monasterio maneat, cum in tali casu retineri pretium datum à monasterio possit ratione alimentorum. In alijs verò casibus, in quibus etiam Simonia committitur, sæpe de jure naturæ debet fieri restitutio; cui autem hæc facienda sit, Iudicis arbitrio ordinariè relinquatur.

§. III.

*An vicissim res spiritualis, quæ pro pretio Simoniacè data fuit, etiam debeat restitui danti?*

**A**D hanc quæstionem, ut respondeatur, observari iterum debet, an Simoniacè & injustè res spiritualis acquisita sit, vel an acquisita sit Simoniacè quidem, non autem injustè. In priore casu, si res injustè & Simoniacè accepta, sit permanens, non quidem res accepta, sed pretium accedens, quod pro spiritualitate v. g. quæ tali datum est, restitui debet, ei, qui ratione spiritualitatis hoc pretium dedit (quamvis in pœnam delicti per sententiam Iudicis hoc privati possit) si verò res spiritualis Simoniacè quidem, non tamen injustè acquisita fuit, nulla rei talis restitutio fieri debet, cum nulla sit læsa justitia, quamvis etiam



hic in poenam admiffæ Simonix re fpiritu-  
ali taliter fibi comparatâ, privati  
poffit. &c.

§. IV.

*An Simonia mentalis obliget ad  
restitutionem?*

**T**RES sunt hac in re sententiæ. Prima  
absolutè negat obligationem resti-  
tutionis, si mentalis tantùm Simonia  
commiffa fit, dato quidem temporali,  
& accepto fpirituâli, sine pacto tamen,  
aut signo exteriùs Simoniam manifeftan-  
te, cujus sententiæ fundamentum vide-  
tur *c. Mandato 46. h. t.* ubi dicitur fuffi-  
cere in tali cafu, fi delinquentes per fuam  
penitentiam fuo Creatori fatisfaciant.  
Secunda diftinguit, & concedit restitu-

tionis obligationem in cafu Simonia  
mentalif jure divino prohibita, non au-  
tem in cafu Simonix mentalif, quæ con-  
mittitur contra jus Ecclefiafticum ra-  
tùm, cùm in illo cafu ad acquirendum  
dominium reddatur inhabilis Simonia-  
cum pretium accipiens, non autem in  
hoc cafu. Neutra tamen hæc fententiæ  
placet, cùm neutra factis efficaciter po-  
betur, vel certè nimis univerfaliter po-  
bet. Tertia proinde fententiæ probabi-  
lior eft, quæ diftinguit, utrum pretium  
in tali Simonia mentali Simoniacè ac-  
ceptum, annexam habeat de jure naturali  
injultitiam, vel utrum Simoniacè ipfo-  
dem, non tamen injultè acceptum fit, in  
illo priore cafu admittit obligationem  
restitutionis, non autem in pofteriore  
cafû, ob rationem fæpiùs allatam.

TITVLVS IV.

NE PRÆLATI VICES SUAS, VEL ECCLE-  
SIAS SUB ANNUO CENSU CONCEDANT.

§. Unicus.

*An, & fub qua pœna prohibitum  
fit Prælatif Ecclefiafticif, vices fuas, id eft,  
jurisdictionem fuam, fub annuo cenfu,  
five pretio concedere? & an etiam pro-  
ventus Ecclefiarum fub annuo  
cenfu locari poffint?*

**D**E priore quæftione agitur in *c. Pra-  
terea 1. h. t.* ubi prohibetur Epifco-  
pis fub pœna privationis vendere pro  
certa pecunia quantitate fuam jurifdi-  
ctionem Epifcopalem, cùm hæc jurifdi-

ctio fit fpirituale quid, & confequenter  
fine Simonia pro pretio temporali vendi  
non poffit; quæ tamen Simonia non  
committitur ab Epifcopo Vicario v. g.  
conftituto, ut vice Epifcopi jurifdico-  
nem exerceat, fi ab Epifcopo falarium  
accipiat, cùm hic pro eo, quod hæc  
fuas operas Epifcopo, falarium aut fi-  
pendium pro his accipere poffit. Vide-  
tur etiam *c. Quoniam 2. §. 1. h. t.*

De pofteriore quæftione agitur in  
*c. Querelam 4. h. t.* ubi concedi videtur  
aniquum Decretalium jus attendendo



ad plures etiam annos infra decem, reditus Ecclesie, vel beneficii sub annuo censu elocati pisse, quod tamen hodie non licet ultra triennium, ubi *Extravag. Anbitiosa de rebus Ecclesie alienand.*

*inter communes, recepta est, videatur etiam de hoc Tit. ea quæ in superioribus dicta sunt Tit. 13. Lib. III. Decretal. de rebus Ecclesie non alienandis.*

TITVLVS V.

DE MAGISTRIS, ET NE ALIQUID EXIGATUR PRO LICENTIA DOCENDI.

§. I.

*An, & quinam Magistri constituendi sint ad docendum in Ecclesijs Cathedralibus; & an licitum sit aliquid exigere vel accipere pro licentia docendi?*

**EX c.** Quoniam i. h. t. habetur, quod in qualibet Ecclesia Cathedrali, vel etiam collegiata, si sufficientes reditus adsint, constitui debeat, de una præbenda Magister, qui Clericos ejusdem Ecclesie, & pauperes scholares Grammaticam, gratis doceat; & quod pro licentia docendi, nullum pretium sit exigendum, neque idoneus, si petita licentia, docere velit, sit impediendus, (ne desit doctrina ignorantibus, aut pauperibus) sub pœna privationis beneficii Ecclesiastici. Qualia præcepta, & prohibitiones etiam fiunt in c. 2. & 3. h. 7. ac in c. 4. insuper additur, ut in Ecclesia Metropolitana Theologus constituatur, qui alios in sacra pagina doceat, & in his præcipuè instruat, quæ ad curam animarum pertinent, assignatis unius Præbendæ proventibus, quæ constitutio

confirmata etiam fuit à Tridentino sess. 5. c. 1. de reform. & sess. 23. c. 18. de reform. quod eam etiam extendit ad Ecclesias Cathedralis, si civitas sit insignis. quæ autem praxis sit harum constitutionum, uti etiam ipsius Tridentini, docebit consuetudo.

§. II.

*Quale privilegium jure Canonico concessum sit Theologiam seu sacram Scripturam publicè docentibus, vel illi studentibus?*

**EX c.** Super specula §. h. t. habetur; quod docentes Theologiam (aut jus Canonicum, uti communiter docent omnes) vel in illis studentes, in celebri universitate, gaudeant privilegio percipiendi fructus beneficiorum suorum, etiam si absint à suis Ecclesijs, cum licentia tamen suorum Prælatorum, &c. ita tamen, ut docentes quidem gaudere possint suorum beneficiorum fructibus, quamdiu docuerint, absque limitatione ad certos annos (nisi ex causa revocentur ad suas Ecclesias) studentes verò in his

Aaa aa 3 facul-



facultatibus, hoc privilegio gaudeant ad quinquennium, cum hoc sufficere videatur his, ut docti possint evadere, docentibus vero nullum tempus limitatum est, cum semper promoveant utilitatem Ecclesie universalis. Videatur etiam *Clementis. Inter 1. h. 1.*

## §. III.

*An accipere pecuniam pro doctrina Theologia sit Simoniacum?*

**R**espondetur negativè, sive deinde temporale accipias pro officio docendi Theologiam speculativam, sive moralem, sive controversiam; sive pro interpretatione Sacre Scripturæ, &c. cum tale munus & officium docendi, non sit quid spirituale, aut supernaturale, naturalibus discursibus intellectum illumi-

minans ad intelligenda ea, que ex naturali luce, vel etiam ex supposito principijs, naturaliter deduci possunt. & quamvis in *c. 1. 2. 3. h. 1.* prohibetur, ut Simoniacum (nisi causa spiritualis sue jurisdictionis hanc taliter cederet aliquis pro pecunia, cum quæ ea concedere deberet, ne spirituali jurisdictione ad temporalia sui occupanda videretur abuti) sed ut ex alio capite bono communi mundi convenerit & illicitum; quod ipsum etiam dici potest, de concedenda pro pecunia licentia, ad alias facultates docendas, prout ex relatis eorum capitula colligi possunt.

## T I T V L V S VI.

DE JUDÆIS, ET SARACENIS, ET  
EORUM SERVIS.

## §. I.

*Quæ & in quibus casibus interdita sit Christianis communicatio cum Judæis?*

**A**gitur in hoc titulo, non tam de Judæis, & paganis infidelibus, ad quos jurisdictio Canonica se non extendit, cum non sint in Ecclesia, quàm de prohibita communicatione fidelium cum infidelibus talibus, & penis certis, quibus afficiuntur fideles, si contra prohibi-

tionem cum illis communione. *Dehinc c. Ad hoc 8. h. 1.* prohibentur Christianis assidua conversatio & familiaritas cum Judæis, ne ad hanc perniciam simplicium animos inclinent, nec servi Judæi, qui commoreantur cum Christianis familiariter, & domesticè admittantur, ob gentis illius pertinaciam, nec liceat tui medicis Judæis, aut medicis à Judæis præparatis, nisi necessitas in defectu fidelium peritorum aliud premitat; nec liceat cum Judæis lavare, sive



sive balneum commune habere, extra casum necessitatis; nec liceat eorum azyms velci, ad eorum convivia accedere (quod ipsum prohibetur etiam respectu Saracenorum, aut aliorum infidelium, ita tamen, ut illi excipiantur, qui ad eorum conversionem mittuntur) famulari Judæis, horum filios nutrire, seu obstetrices, aut nutrices eorum agere, habitare cum illis &c. ita ut continua saltem cum illis familiaritas, ex tali cohabitatione, aut perpetuo servitio contracta, prohibeatur sub peccato mortali.

## §. II.

*Quanam Judæis Christianorum Principum potestati & Imperio subiectis, Jure tum Canonico, tum civili sint interdicta.*

Prohibetur illis, ne officio aliquo publico fungantur, & jurisdictionem exerceant inter Christianos, ne novas Synagogas erigant, ne habeant nutrices, vel obstetrices aut famulos, qui ipsis serviant, vel mancipia Christiana, ita ut si servitij causa, sint empta, nullo etiã dato pretio liberentur, nisi infra tres menses venales exponantur; si verò negotiationis causa sint empta, à quolibet Christiano datis 12. solidis saltem redimi possint; ne die Parasceves ostia aut fenestras aperta habeant, ne toto tempore passionis Dominicæ, infra sacram seil. hebdomadem, in publicum prodeant, & præcipitur etiam, ut distinguantur habitu à Christianis. Vide plura per varia hujus Tituli capitula, & quæ tam his duobus, quàm sequenti §. habet Auctor Method.

ubi etiam quæ ipsis permitti debeant, recensentur, quæ tamen consuetudo & praxis multùm variat.

## §. IV.

*Quomodo & à quo Judæi delinquentes possint, ac debeant puniri?*

Judæi cum non sint subiecti jurisdictioni Ecclesiæ, non possunt, nisi à Dominis suis temporalibus, pœnâ temporali puniri, hinc Judæus percutiens clericum, non incurrit excommunicationem, quæ est pœna Ecclesiastica, sed ab eo, cujus jurisdictioni temporali subiectus est, pœna fortassis pecuniaria punietur.

## §. V.

*Quanam interdicta sint Christianis Jure Canonico circa Saracenos, seu paganos, aliosque infideles?*

*In c. Ita quorundam 6. h. t. &c. Ad liberandum 17. eodem.* varia prohibentur Catholicis, ne Saracenorum bellico & piratico furori contra Christianos serviant, præsertim ne arma, ferrum tam factum, quàm infectum, ligna &c. ad eos deferant, ne vendant illis naves, machinas &c. quibus impugnent Christianos; ne auxilium, aut consilium in dispendium terræ Sanctæ illis præbeant; ne naves eorum, vel machinas gubernent; ne deferant, & vendant illis, quæcunque instrumenta militaria, ad offendendam conducentia; & ut in bulla eæne prohibetur, ne quis ad eos deferat, cannabin, funes, & quæcunque alia, ex quibus confici possunt instrumenta,



menta, quibus impugnari possint Christiani &c, sub pœna scil. non tantùm juris communis, sed bullaris etiam excommunicationis, quæ, quomodo observentur praxis docet. Mer-

cimoniorum tamen causa, & ad liberandos captivos in eorum terras, et currere non prohibetur. Videatur Auctor Metho. in hoc §,

## TITVLVS VII.

### DE HÆRETICIS.

#### SECTIO I.

#### De crimine hæresis, & hæreticis in genere.

##### §. I.

#### De crimine hæresis, & quis dicatur hæreticus.

**H**æresis communiter definitur, quod sit error (sive iudicium erroneum intellectus) voluntarius, quem quis pertinaciter tenet, contra aliquam veritatem fidei catholica, quam suscepit seu professus est. & hinc habendus hæreticus formalis non est, qui vel assensum erroneum, contra fidem cognitam, non habet, ignorans invincibiliter, quæ veræ fidei sunt, vel non liberè, quamvis multas contra fidem patiat in vitis tentationes, vel non pertinaciter, paratus meliora sentire, si melius instruat, vel negat fidem, quam nunquam suscepit, qui potius ad infidelium classem, quam ad hæreticorum pertinet &c.

##### §. II.

*De quibusdam, de quibus dubitari potest, an sint propriè hæretici, nec no.*

**Q**ui positivè dubitat de aliquo articulo fidei, quem scit ab Ecclesia definitum esse, pertinaciter iudicans, non esse certam illius veritatem, verò propriè hæreticus, vel infidelis est; cum enim sit de fide, quod omnes articuli fidei sint certissimi, hic autem de aliquo, quem scit articulum fidei, positivè & pertinaciter dubitet, an illi non dubit sit falsum, consequenter hæreticus est, vel infidelis: si tamen negativè tantum dubitet, suspendens omne iudicium, ut nec assentiatur, nec dissentio obijcto fidei, hæreticus dici non debet, cum talis nullum iudicium habeat, de articulo fidei proposito, & consequenter necessitatem habet, modò suspensio talis non sit virtualis dissensus, nec dubium illius proveniat ex ignorantia vincibili. Plura de hac re etiam Theolog. suggerent.

SECTIO



## SECTIO II.

De penis hæreticorum, &  
imprimis de excommunica-  
tione eorum.

## §. I.

De prima pena jure Canonico de-  
creta in hæreticos, excommunicatione scilicet.  
& conditionibus requisitis ad illam  
incurrendam.

PRIMA pena hæreticorum est Ex-  
communicatio major lætæ senten-  
tiæ, quæ ipso jure seu facto ab ipsis  
incurritur. c. Ad abolendam 9. b. 1. c.  
excommunicamus 13. eodem. & in Bulla  
Cœnæ reservata est hæc excommunica-  
tio Papæ. Requiritur tamen ad hæc  
excommunicationem incurrendam qua-  
tuor conditiones. Prima est, ut quis  
sit hæreticus formalis & verus, ac non  
tantum materialis, qui ignorantia in-  
vincibili aliquid contra fidem asserit,  
quales hodie multi sunt. Secunda est, ut  
quis hæresin internam sive mentalem,  
verbis, aut alijs signis externis manifestet,  
etiam si occultè hoc, & nemine præ-  
sente faciat. Tertia est, ut actus externus,  
manifestativa hæresis internæ, sit ex se  
moraliter malus. Quarta denique  
conditio est, ut (saltem virtualiter) ex-  
terius manifestetur hæresis interna ani-  
mo eam proficendi. Videatur Bulla  
Cœnæ, ubi plures alij hæresum fauto-  
res, aut legentes hæreticos libros pro-  
hibitos &c. excommunicantur, juxta  
c. fraternitatis 4. b. 1. Quæ tamen ex-  
communicatio secundum talem rigorem  
Compend. Pirhing.

## §. II.

Qua communicatio Catholicis cum  
hæreticis sit prohibita, vel permissa, & an  
ac quando sint vitandi, tanquam ex-  
communicati?

DE jure divino prohibita est commu-  
nicatio in Divinis cum hæreticis.  
Primo si ex communicatione tali grave  
scandalum oriatur apud Catholicos,  
quasi hæreticorum errores signo vel  
facto à Catholicis talibus approbentur.  
Secundo si ex tali communicatione pe-  
riculum animæ imminet communi-  
canti. Tercio Catholicus cum hæretico in  
crimine hæresis, ob quam fuit excom-  
municatus, communique, defendendo  
eum, quæ hæreticum, abscondendo, &c.  
in alijs verò casibus vitandi non sunt,  
neque communicatio cum illis est pro-  
hibita ob Extravag. Martini §. in Con-  
cil. Constant. ad evitanda, nisi nomina-  
tim & expressè sint denunciati, prout  
pluribus etiam docent Theologi mora-  
les, quos consule.

## §. III.

An liceat disputare de fide cum  
hæreticis vel alijs, & quando ac quomodo,  
& an etiam licitum sit Laicis  
predicare?

INTERdictum quidem est non tantum  
laicis, etiam si docti sint, c. Quicun-  
que  
Bbb bb



quo 2. §. *Inhibemus h. t. in 6.* sed etiam Clericis, cum hæreticis disputare *can. De quibus. 36. can. 24. q. 3.* (præsertim, cum illis, qui fuerunt Magistri erroris, & plerumque valde pertinaces sunt in errore suo defendendo) ob periculum, ne simplices talem disputationem audientes ob hæc hæreticorum argumenta, fatua quidem, sæpe tamen splendida, de fide periclitentur; suis tamen limitationibus multis, hæc prohibitio, sub pœna excommunicationis posita, non caret: & sicut Laicis de fide disputare prohibitum, ita multò magis prohibetur illis prædicare. *c. Cum ex injuncto 12. h. t. c. sicut 14. eodem, & c. Excommunicamus 13. §. Quia verò eodem.*

## §. IV.

*An & quando excommunicati propter suspicionem hæresi, tanquam hæretici condemnari possint.*

**S**UPECTI de hæresi, nisi juxta considerationem suspicionis, & qualitatem personæ, debitè se purgaverint, sunt excommunicandi, & si per annum in excommunicatione, aut contumacia persistierint, ut hæretici sunt condemnandi. *c. Excommunicamus 13. h. t. & c. Cum contumacia 7. eodem in 6.* Quæ tamen, quia in illis tantùm certis locum habent, ubi inquisitores contra hæreticam pravitatem constituti sunt & major cura habetur, hæresis non admittendæ aut extirpandæ, quàm in nostra misera Germania, pluribus explicare, nulla est necessitas, videatur Auct. Meth.

## §. V.

*De absolute ab hæresi, & excommunicatione etiam.*

**P**ER se quidem excommunicatio, quæ incurritur propter hæresin, & consequenter etiam crimen hæresi, retractata sunt, in ordine ad absolutionem Summo Pontifici, & quibus, vel à summo vel à Summo Pontifice absolventi licentia conceditur, cum peccatum, quod censuram habet annexam, ordinari tolli non possit, nisi prius censura ablati sit, potest tamen sublatâ per legitimum potestatem censurâ, à quolibet deinde Superiori, jurisdictionem legitimam habente, peccatum hæresi absolvi. Habent autem licentiam absolventi ab hæresi, & excommunicatione ei annexa primò Episcopi respectu sacrorum laborum, vi Concilij Tridentini, ab *Sess. 24. cap. 6. de reformatione illius* conceditur, ut possint in Diocesi (sua, per se non tamen per Vicarios suos) ab occulto crimine hæresi, & excommunicatione annexa, in foro conscientie absolvere; occultum nomine intelligendo, quod non est publicum, notorium, & famosum, aut deductum ad forum contentiosum, per accusationem, denuntiationem, aut citationem rei à iudice factam. Secundò habent hanc licentiam vi privilegij religiosi quidam, propter ex privilegij eorum patet.

Sicuti autem ex sententia probabiliter hæc tales licentiæ ad absolventem ab hæresi, etiam publica, & excommunicatione annexa, quæ in certis casibus, vi juris communis conceduntur, per Bullam



## §. X.

*De relapsis in hæresim, eorundemque pœnis.*

**R**elapsi propriè & rigidè loquendo dicuntur illi, qui postquam de hæresi, quam profitebantur, in iudicio convicti, aut confessi, illam abjurarunt, sive iuramento damnarunt, & execrati sunt, in eandem iterum inciderunt, ita ut de novo in iudicio de illa convicti legitimis probationibus, vel confessi fuerint eam. Sunt quidem etiam alij modi, quibus relapsus aliquis, ex præsumptione saltem juris censetur, de quibus videri potest h. l. Auð. Metho.

Et quamvis juxta *c. Ad abolendam* 9. §. Illos quoque h. t. pœna relapsorum sit, ut sine ulla penitus audientia, seculari Judici relinquatur puniendi, quia pejus & periculosius est, reincidere in hæresim, quàm primò incidere, in *c. tamen super eo* 4. in 6. non vult Ecclesia, illis negari Sacramenta, si pœniteant postea, & manifesta dent signa pœnitentiæ, ac humiliter petant Sacramenta.

## SECTIO IV.

*De filiis hæreticorum, & de credentibus receptoribus, defensoribus, & fautoribus eorumdem, ac pœnis.*

## §. I.

*Quas pœnas incurrant filij hæreticorum.*

**R** Plures quidem esse in jure statutas, cum tamen nulla earum ple-

Bbb bb 2

rurum.

Cœnz revocatæ non sunt, saltem respectu Episcoporum, in regionibus ab urbe remotioribus, in nostra Germania v. g. propter difficultatem adeundi Pontificem pro absolutione, & multitudinem absolvendorum, ita ut, cum nulli sint in nostris partibus Inquisitores hæreticæ pravitatis, vi juris communis etiam absolvi à sua hæresi, & excommunicatione hæretici possint per Episcopos nostros, aut ab illis de puratos; ita etiam videtur probabilis esse, sub generali concessione solvendi à reservatis in Bulla Cruciata, vel Jubilæi, non comprehendi facultatem absolvendi ab hæresi, sed debere hanc facultatem specialiter exprimi juxta *reg. 81. in 6. in generalis concessione non veniant ea, que quis non esse verisimiliter in specie concessurus, qualiter verisimile non est, quod velit per generalem concessionem, tot legibus in favorem fidei datis derogare Pontifici.*

## SECTIO III.

*De aliis pœnis hæreticorum.*

**P**lures aliæ pœnz per variâ hujus Tituli capitula statuuntur, quæ quia in nostra Germania parùm observantur, videtur plerisque contraria consuetudo, aut fœdera inter Lutheranos & Catholicos v. g. inita, pro bono pacis, derogasse, ut non sit necessaria ulterior eorum mentio. Videatur Auð. Meth. per 9. hujus Sectionis §§. fuis eas explicantes.



rumque sit observatio, nulla est etiam necessaria eorum explicatio. Vide Auc̄. Method, hoc loco, ubi etiam, uti & §. 2. De p̄nis credentium, receptatorum, defensorum, & fautorum hæreticorum agitur, & §. 3. de p̄nis eorum, qui sunt negligentes in puniendis, & exterminandis hæreticis.



SECTIO V.  
De Judicibus, & procedendo  
in iudicario observando in  
crimine hæresis.

Tota hæc sectio per 7. §. 8. potissimum pertinet ad loquitosos hæreticæ pravitate, quorum in nostra Germania, cum vix sit usus, sit autem multa in Hispania & Italia &c. illis major explicatio relinquatur. Videntur tamen de his etiam potest Auc̄. Method.

TITVLVS VIII

DE SCHISMATICIS, ET ORDINATIS AB  
ILLIS.

§. I.

Quid sit Schisma, & quomodo ab hæresi differat, & qua sint p̄na iure decreta in schismaticos.

Schisma est disjunctio, per quam quis se ab unitate Ecclesie separat, in quantum est corpus mysticum ex universis fidelibus & Romano Pontifice tanquam capite constans. Differt ab hæresi, quod hæc directe opponatur fidei, fidei scilicet doctrinam negando, schisma vero repugnet charitati, Ecclesie unionem, quæ, quæ in charitate consistit, scindendo, & quod omnis quidem hæreticus, schismaticus sit, non tamen omnis schismaticus, hæreticus sit, cum omnis ille, qui erroneam contra fidem doctrinam fovet, ab Ecclesie unionem se

separet, non autem, qui se separat Ecclesie unionem, semper fovet errorem contra fidem doctrinam, in quantum scilicet omnes quidem fidei articulos profitetur, & Romanum Pontificem etiam, ut caput Ecclesie, agnoscit, obedientiam tamen huius ex pura voluntate se subtrahit, non parendo, g. episcopi præceptis, quatenus vici Christi in terris gerit, & Ecclesie caput est.

Pænæ schismaticorum eadem p̄nae sunt cum p̄nis hæreticorum. Videatur de hac, rari casus, materia, & ut alicujus in partibus nostris usus, Auc̄. Metho.



§. II.

An ordinationes alique actus sive gesta per schismaticos sint valida?

Quæ sunt ex potestate ordinis sacramentalis à schismatico Episcopo v. g. valida sunt, non quidem quasi licitam executionem daret, quòd enim talis non habet, sicuti non habet, ordinis sui licitam executionem, alteri

dare non potest, sed quoad substantiam, ita ut characterem ordinis & confirmationis, confirmati ab illo, & ordinati verè recipiant, (modo legitima forma, & materia horum Sacramentorum fuerit servata) & quando ordinationes ab his factæ, dicuntur irritæ, intelligi debent irritæ, quoad executionem, & usum ordinum susceptorum.

TITVLVS IX.

DE APOSTASIS, ET REITERANTIBUS BAPTISMA.

§. I.

De Apostasia in genere, & in specie, de Apostasia à fide, ejusque pænis.

Apostasia in genere est defectio, & recessus à Deo, triplex est, Apostasia à fide, Apostasia ab ordine clericali, & apostasia à religioso ordine; ut autem quis à fide apostata dicatur, in totum à fide Christi recessisse debuit, ut cum Christianus factus est Judæus, aut Turca, & hinc quamvis omnis apostata à fide, hæreticus etiam dici possit, juxta S. Thomam, tres tantùm infidelitatis species agnoscentem, paganismum, judaismum, & Hæresim, non tamen omnis hæreticus, apostata à fide dici potest,

sunt autem ipsdem pænis hi apostatæ à fide subjecti, quibus hæretici, cum sint verè hæretici.

§. II.

De Apostatis ab ordine clericali, & à Religione, ac pænis eorum.

Apostata ab ordine clericali dicitur, qui post susceptos ordines sacros, & editum continentie votum, in susceptione talium ordinum inclusam; vel si in ordinibus minoribus constitutus est, post acceptum beneficium ecclesiasticum, hoc retento, ad statum conjugalem, vel ad laicalem conversionem, dimisso habitu clericali, propria temeritate, transit, Pænx horum Apostatarum sunt excommunicatio ferendæ saltem sententiæ, infamiæ, quam ipso facto incurrit, quamdiu in apostasia

Bbb bb 3

perdu-



perdurat, amissio privilegij clericalis, &c.

Apostata à religione dicitur, qui sine licentia sui superioris regularis ab ordine religioso, quem professus est, & quocunque alio instituto regulari, propria temeritate recedit, sine proposito redeundi, vel cum proposito nunquam redeundi, ad ullum religiosum ordinem. Horum Apostatarum pœnæ sunt excommunicatio, saltem ferendæ sententiæ, suspensio ab ordinum in apostasia tali susceptorum executione &c.

§. III.

De reiterantibus baptismum & eorum pœni.

**R**eiterantes baptismum dicuntur, qui validè baptizatos rebaptizant iterum, vel rebaptizari se faciunt, ut faciunt hodie anabaptizati (quod *Can. 112. dist. 4. de consecratione*, inopiabile facinus dicitur, pœnæ talium rebaptizantium, aut rebaptizari se facientium, sunt irregularitas, si scientes hæc talia fecerint, aut permiserint per culpam mortaliter malam, & delictum eorum sit publicum & notorium *cap. 2. h. e.* & si Clerici sint, deponuntur, si verò laici sint, excommunicantur, & jura civilia attendendo ultimo supplicio afficiuntur.

¶ (o) ¶

## T I T V L V S X.

### DE HIS, QUI FILIOS OCCIDERUNT.

**E**x *c. intelleximus 2. h. e.* habetur, quod maritus ab uxore, quæ filiam suam occiderat, separandus quidem non sit, quoad thorum, aut cohabitationem, curandum tamen sit, ut sui illa sceleris pœnam luat in foro animæ & in *c. de infantibus. 3.* dicit Pontifex, quod parentes non debeant esse

sine pœnitentiâ, si penes illos in eodem lecto jacentes infantes mortui reperiuntur, neque tamen sciatur, an morte naturali defuncti fuerint, vel parentibus oppressi, cum in *Can. consuevit 2. caus. 2. q. 5.* prohibetur sic parentibus tenellos infantes in eodem lectum illis collocare.



T I T V.



TITVLVS XI.

DE INFANTIBUS ET LANGUIDIS EXPOSITIS.

§. I.

*Qua sit pena parentum, qui filios exponunt ab alijs nutriendos, vel languidos, sive infirmos ab alijs curandos.*

**Q**ui infra 7. ætatis annum infantem languidum, & infirmum exponit, contra pietatis officium, hoc ipso infans

calis à patria potestate liberatur, & si libertus sit, sit ingenuus, aut si servus sit, in libertatem vindicatur, & parentes insuper, quibus scientibus infans talis expositus est, si eos alere possint, obligantur ad alimenta restituenda, pro diversitate conditionis illius, vel loci, vel hominis, à quo alitur.

TITVLVS XII.

DE HOMICIDIO VOLUNTARIO, VEL CASUALI.

SECTIO I.

*De homicidio in genere, & in specie de homicidio voluntario injusto.*

§. I.

*Quid sit homicidium in communi, & quomodo dividatur?*

**H**omicidium, propriè loquendo, est occiso hominis ab homine facta, si enim à fera homo occidatur, propriè non dicitur secundùm iura homicidium,

sed pauperies, juxta Tit. Infr. & ff. si quadrupes pauperiem &c. & quidem corporale homicidium, de quo hinc est quæstio, aliud est voluntarium, aliud involuntarium, seu casuale. Voluntarium subdividitur in illicitum, sive injustum & in licitum, sive justum. Illicitum sive injustum aliud est directè voluntarium, quod est per se intentum, & fit animo deliberato occidendi hominem, aliud est indirectè voluntarium in causa scil. per se intenta, ex qua moraliter certò homicidium est secuturum. Licitum verò homicidium est aliud necessarium ac defensivum, cum quis se contra



Contra injustum in vasorem cum occasione illius legitime defendit, aliud verò est punitivum, quod publica auctoritate Magistratus fit, ad punienda delicta. Casuale denique homicidium dicitur, quod casu præter intentionem committentis, aut causam dantis contingit, & quidem si nullo modo sit voluntarium, ob nullam periculi fortassis prævisionem, & post sufficientem cautionem ad omne periculum avertendum adhibitam evenit, merè casuale dicitur, si tamen periculum prævisum est, cui non sufficienter cavebatur, casuale quidem dicitur, per accidens tamen, & indirectè volitum.

## §. II.

*Quæ requirantur ad homicidium injustum directè voluntarium, et quæ penam incurrendam, & quæ pena jure sint decreta in homicidas.*

**R**equiritur primò ut sit commissum per directam, ac expressam, & spontaneam voluntatem occidendi, vel in se, vel in sua causa, intendendo mortem alterius. Requiritur secundò ut mors actu & re ipsa sequatur, si enim mors non sequatur, sed per miraculum fortasse aliquid impediatur, pena ordinaria homicidij non incurritur, cum pena à jure decreta perfectum, & consummatum actum requirat, ut incuratur, nisi aliud in ipso jure expressum sit.

Sunt autem penæ in tales homicidas de jure canonico (quod enim statuat jus civile, Civilistæ se docebunt) statuta: excommunicatio (quæ mortis nomine in jure canonico venit, quia mortem

animæ affert) irregularitas, & si Clericus sit, qui homicidium dicto modo commisit, deponendus est ob ordinem & officio, & post depositionem in actum Monasterium (juxta antiquos jura) detrudendus est, ad agendam penitentiam, vel ut volunt aliqui juxta hodiernam consuetudinem, ad triennes mittendus in perpetuum, vel ad tempus, pro diversitate homicidij, & penitus est omnibus beneficij Ecclesiasticis, si quæ habeat, neque potest etiam post peccatam penitentiam in ecclesiis susceptis ministrare, &c. attendendo tamen in his, ac alijs penis, alias etiam circumstantias, quæ mitiorem nonnunquam cum hoc, quàm cum alio, procedendi modum requirant.

## §. III.

*Quisnam tum in genere tum in specie propter homicidium voluntarium & injustè commissum irregularitatem incurrat aut alias penas, in jure latas contra homicidas.*

**I**n genere dici potest, quod illi irregularitatem hanc incurrant, qui seipso taliter injustè occidunt, alio (cum hi vel maxime sint homicidæ) vel equi causam mortis alteri præbent cum intentione occidendi, cum damnum dedisse merito censetur, qui causam efficacem damni dedit cum intentione peccandi. In specie verò irregularitatem hanc incurrit, primò qui factis jam animati abortum procurat, sicut in h. r. quia qui factum animatum occidit, utique homicida est. Secundò qui lethaliter alium percussit, etiam si hic ab alio



alijs postmodum fuerit omnino interfectus, modò sufficientem etiam causam mortis dederit, cum intentione prava eum occidendi, ita ut abstinere etiam debeat, tanquam irregularis, ab officio sacerdotali, etiamsi dubitet, an ex suo ictu, vel potius posterioris, mortuus fuerit vulneratus. Tertio qui cum intendat ex proposito occidere Titium, ex casu tamen occidit Caium, quamvis enim casuale sit hoc homicidium respectu personæ occisæ, voluit tamen occidens occidere hominem.

## §. IV.

*An mandans aliquem occidi fiat irregularis, aliisque penas homicidij incurrat.*

**M**andans occidi aliquem, etiamsi expressum mandatum non sit de occisione, sed tacitum tantum, sit irregularis, si mors ex tali mandato sequatur, & ordinariâ homicidij pœnâ puniri potest; quamvis enim causa physica mortis alterius hic non sit, est tamen causa moralis & quidem principalis: quin imò si mandatarius fines mandati excedat, occidendo v. g. eum, aut mutilando, quem alter verberari tantum mandavit, cum expressa intentione ne occidatur v. g. incurrit tamen mandans irregularitatem, si mors alterius vulnerati v. g. sequatur, & injusta fuerit vulneratio, quam mandavit. *c. l. qui 3. h. t. in 6.* cum mandando in culpa fuerit, & debuerit cogitare, hoc evenire posse, ut ait Pontifex *in cit. cap.* quam etiam incurrit mandans, si præter ipsius intentionem mandatarius occidatur, cum

*Phirrig. Compend.*

hoc præter intentionem mandantis esse quidem possit, non tamen præter prævisionem, tam periculoso casui exponendo mandatarius. Et quamvis si mors vel simpliciter non sequatur, vel non sequatur ex mandato hoc, vel revocatum fuerit mandatum tale, & hujus revocationis notitia ad mandatarium pervenerit, non incurrat ex homicidio irregularitas, cum rigor pœnarum hanc extensionem non permitrat, possunt tamen mandantes, præsertim si per Assassinos infideles homicidia committi mandant, de alijs pœnis à jure Canonico statutis sibi subinde timere juxta *c. Pro humani 1. h. t. in 6.*

## §. V.

*An sicut mandans, ita etiam consentiens in homicidium injustum, vel illud approbans, seu ratum habens, incurrat irregularitatem, & alias penas homicidij?*

**C**onsentiens in eadem alterius, aut ratam eam habens, postquam commissa illa fuit, sine ulla tamen cooperatione, & quæ nullo modo sit ex nomine consentientis, irregularitatem, aut alias pœnas homicidarum non incurrit, cum talis nullo modo sit causa influens in homicidium, qualis tamen esset (& consequenter irregularitatem, ac alias pœnas homicidarum incurreret) si consentiret in homicidium, ut ab alio quidem fieret, fieret tamen suo nomine, quo in casu causa moralis abique ulteriore mandato haberetur; & quamvis in casibus quibusdam ratio habitio mandato æquiparetur, in ordine tamen ad pœnam incurrit.

*Ccc cc*

*curren.*



custendam, causæ physicae, aut morali  
impositam, non potest æquiparatio lo-  
cum habere, cùm tanhabitus talis nul-  
lo modo in delictum commissum in-  
fluat.

## §. VI.

*An consulens homicidium injustum  
incurrat irregularitatem?*

**S**I homicidium committatur ex vi dati  
consilij, in casu scilicet, quo qui con-  
siliū alterius audijt, non fuisset alte-  
rum occisurus, vel certe non eā celeri-  
tate, aut crudelitate, &c. nisi consiliū  
tale datum fuisset, irregularis fit, casu  
quo mors alterius subsequatur, uti sumi-  
tur ex can. perniciosè 23. dist. 1. de peni-  
tent. & can. Si quis 8. dist. 50. ac c. Sicut  
dignum 6. §. Qui verum. & §. final. h. t.  
quia talis est causa influens in tale homi-  
cidium. Quòd si tamen consiliū, quod  
dedit consulens, revocet ante ejus exe-  
cutionem, non ideo statim liber est ab  
irregularitate, si mors illius, contra  
quem consiliū datum fuit, sequatur,  
cùm influere possit etiam consiliū re-  
vocatū, & intellectus semel imbutus  
aliquā opinione, non faciliè ab illa dimo-  
veatur, sed insuper debet consulens ad  
evadendam irregularitatem conari ad  
dissuadendum homicidium, ad quod  
prius consilio suo juvit.

## §. VII.

*An qui cooperatur ad homicidium  
praestando opem, aut auxilium, sit  
irregularis?*

**S**I auxilium, vel opem ferens sit  
causa propinqua homicidij commissi,

vel directè ad illud cooperando, perso-  
niendo, & infligendo vulnera v. g.  
vel indirectè, detinendo v. g. eum,  
qui occiditur, ne fugiat, vel committendo  
occisorem, & suā presentia animan-  
do, &c. irregularitatem incurrit, ut  
ad mortem alterius verissimè, physica  
moraliter cooperetur, uti colligitur  
c. Sicut dignum 6. h. t. Si verò plura  
occidendum aliquem concurrat, &  
dicto modo opem ferendo cooperetur,  
omnes sunt irregulares, sive ex con-  
dicto & proposito aggressus aliquem  
ad eum occidendum, sive subito, ut  
v. g. occasione in unum aliquem in-  
reixerint plures, sive scienter eum vulne-  
raverit aliquis, sive ignoranter, sive vul-  
nus lethale inflixerit, sive non lethale, &c.  
quia omnes sunt velut una causa moralis  
occisionis talis.

## §. VIII.

*An non impediens homicidium,  
cùm possit ac debeat, sit irregu-  
laris?*

**S**I non impediens præcisè tenetur  
charitate illud impedire, non ideo ir-  
regularis in foro conscientie, nisi non  
impediat ex odio interno, & desiderio  
mortis proximi, cùm in tali caso sit  
causa injusta homicidij, nisi contra pe-  
ccatitiam peccans. Si verò ex iustitia tenetur  
impedire homicidium, & possit illud  
sine gravi suo incommodo impedire,  
tamen, & quidem voluntarie, impedire  
irregularis est, si mora alterius sequatur,  
cùm sit causa moralis injusti, respectu  
ipsius, homicidij.



## SECTIO II.

De homicidio casuali, &  
de omnino involuntario.

## §. I.

An ex homicidio casuali, quod ex  
opore licito secutum est, contrahatur  
irregularitas?

Casuale homicidium hic dicitur illud,  
quod per se quidem & directe in se  
voluntarium non est, indirecte tamen, & in sua  
causa voluntarium fuit; casus enim, qui præ-  
ter intentionem operantis contingunt, &  
ab eo prævisi non sunt, imputantur ta-  
men illi ad culpam, (saltem in foro ex-  
terno) si ex opere illo per se, & necessa-  
rio sequantur, vel saltem ut plurimum  
evenire soleant. Potest autem duplici  
modo contingere, ut homicidium ca-  
suale ad culpam alicui imputetur, si dili-  
gentia non adhibeatur sufficiens ad præ-  
cavendum illud, & si quis operam det  
rei illicitæ.

Si proinde rei licitæ operam quis de-  
dit, & adhibuit sufficientem diligentiam  
ad cavendum homicidium, per accidens  
tamen, & præter intentionem, aut præ-  
visionem huius, homicidium ex parte tali  
sequatur, non contrahit ex eo irregula-  
ritatem, quia in tali casu nec ob negli-  
gentiam aliquam in præcavendo periculo,  
nec quod operam dederit rei illicitæ, im-  
putari potest ad culpam illi homicidium  
tale, prout probatur ex c. 9. 13. 14. 15.  
16. 22. 23. & 25. h. t. Quod si tamen  
operam quidem dedit rei licitæ aliquis,

culpam tamen seu negligentiam in amo-  
vendo periculo homicidij committat, eo  
seculo, incurrit irregularitatem c. 7. &  
8. h. t. quia homicidium illi imputatur,  
qui periculum, ex quo facile homici-  
dium, & sæpe sequitur, non præcavet.

## §. II.

An in dubio commissi homicidii  
quis censendus sit irregularis, vel  
non?

IN dubio commissi homicidij, sive in  
dubio facti, ubi certum jus est de ir-  
regularitate statuta, dubium tamen est, utrum  
hic, vel ille homicidium commiserit,  
censendus est in utroque foro, talis du-  
bitans irregularis, c. Ad audientiam. 12.  
h. t. quia debitam diligentiam hic non  
adhibuit ad præcavendum homicidium.  
Si verò sit dubium juris, id est, si dubita-  
tur, utrum pro hoc vel illo casu ir-  
regularitas in jure statuta sit, in neutro foro  
censeri quis debet irregularis, c. Is qui.  
18. de sent. excom. in 6. cum irregulari-  
tas non incurratur, nisi sit in jure statuta.  
Et quamvis in alijs etiam irregularitatibus  
præter irregularitatem homicidij, nec in  
dubio facti, nec in dubio juris incurratur  
irregularitas, cum in dubio delicti, fa-  
vorabiliores rei partes semper sint ad ab-  
solvendum, quam ad condemnandum,  
& in materia odiosa ultra casus jure ex-  
pressos non sit extensio facienda (& hinc  
non debet inferri, quod etiam irregula-  
ritas incurratur in dubio factæ mutila-  
tionis) speciale tamen hoc à jure habet in  
dubio facti homicidij irregularitas, ubi  
tutior pars ad multa scandala & incon-  
venientia cavenda, observanda videtur.

Ccc cc z

§. III.



## §. III.

*Qualis culpa, siue negligentia  
precedere debeat ad incurrendam irregu-  
laritatem, qua oritur ex homicidio  
casuali facto ab eo, qui operam  
dedit rei licitæ?*

**L** Atam culpam juridicam, seu crassam negligentiam sufficere ad incurrendam irregularitatem, docent plerique omnes, cum in casu talis negligentiae, quam homines mediocriter prudentes adhibendam putant, satis voluntarium censetur homicidium; & quamvis putent aliqui ex *c. Continebatur. §. h. r.* de levi iudiciali culpa etiam probari posse, quod, si ea, in præcavendo homicidij periculo, intervenit, irregularitas incurratur, & velint etiam ob culpam juridicam levissimam, non quidem in omitendo, si tamen in committendo hæc admittatur, incurri ex homicidio casuali irregularitatem; alii tamen probabilius pro irregularitate ex culpa levissima incurra, nihil in jure reperiunt, & sunt etiam qui nec pro culpa juridica levi statutam irregularitatem putent, propter Glossam in *c. Quæsitum de pœnitent. V. Negligentibus*, si quis operam dedit rei de se licitæ, & velint ad incurrendam irregularitatem hanc in foro conscientie requiri veram culpam Theologicam gravem intervenire, cum tales pœnæ spirituales non incurrantur à privatis, nisi propter peccatum grave.

3(X)50

## §. IV.

*An, & in quibus casibus, qui dedit operam rei illicitæ siue prohibitæ, etiam ex ipsa sequitur homicidium, si sit irregularis, quamvis omnem diligentiam adhibuerit ad illud vitandam?*

**S** Uur, qui putant, semper incurri irregularitatem ab eo, qui dedit operam rei illicitæ, & periculosa, si homicidium ex ea sequatur, ob varia juris capita, & sunt, qui putant, nunquam ab his incurri irregularitatem, si diligentiam debitam adhibuerint ad præcavendum homicidium, quamvis illud præter opinionem agentis sublequatur, quia non apparet, quomodo in tali casu voluntarium dici possit homicidium tale. Probabiliter tamen media sententia est, quæ pro & juris capita habet, & rationem modè allatam, scilicet incurri ab illis irregularitatem, qui operam dederunt rei licitæ ex se, & natura sua, cum propinquo periculo mortis conjunctæ, quamvis debitam ad hanc præcavendam diligentiam adhibuerint, si mors ex ea aditus irregularis: non fore autem irregularis illam, qui actioni quidem prohibetæ operam dederunt, ex se tamen cum periculo propinquo mortis non conjunctæ, si diligentiam debitam ad hanc præcavendam adhibuerint, etiam si per accidens aliquando mors ex tali operatione sequatur, sicut enim in priore casu licet apparet, quomodo voluntarium sit dedit, saltem indirectè, homicidium, dedit causam ponunt voluntariè, quæ ex se natura conjunctum habet mortis periculum.



culum, & propterea prohibita est; ita in posteriore casu non apparet, ex quo capite dici possit homicidium illis voluntarium, dum operam quidem rei illicitæ dant, non tamen ex natura sua trahentis secum mortem alterius, neque propter conjunctum propinquum periculum mortis prohibet. c. Tua nos. 19. h. 1.

## §. V.

De homicidio omnino involuntario, & inculpabili.

DE hac quæstione in *Clement. Furiosus. h. 1.* statuitur, quod nullâ incurrat irregularitatem furiosus, si durante furore, etiam si suâ culpâ in hunc incidit, occiderit aliquem; insans (ante septennium scilicet expletum) aut dormiens, si occiderit aliquem, cum hi usum rationis non habeant, nisi in hoc postremo casu sciat dormiens, quod in somno soleat surgere, arma arripere, ac obvios percutere, neque tamen ad præcavendam hæc debitam diligentiam adhibuerit, & mors exinde alicujus sequatur, cum in tali casu homicidium hoc fuerit satis in causa illi voluntarium. De ebrio tamen dubitari potest, utrum occidens aliquem in ebrietate, irregularitatem incurrat, cum enim neque hic habeat tum temporis rationis usum, videtur eam non incurere, sicuti prius relati; probabilius proinde ob hanc rationem videtur, non incurere eum irregularitatem in foro Canonico ob factam hominis eadem, nisi prævidens ante ebrietatem periculum occidendi inimici v. g. in ebrietate, periculum tale debitâ diligentia non præcaverit, quia ut sic

homicidium tale huic satis voluntarium est, sicuti de dormiente paulò ante dictum.

## SECTIO III.

De homicidio necessario, sive ob defensionem factò, & irregularitate ex eo contracta.

## §. I.

An qui ob defensionem suæ propriæ personæ ac vitæ alium occidit, vel ob defensionem proprii honoris, & fama, fiat irregularis?

QUI occidit aliquem ob necessariam (ob quod etiam necessarium tale homicidium dicitur) corporis sui, seu vitæ defensionem, servato moderamine inculpatae tutelæ, non fit irregularis, fit tamen irregularis, si in modo defensionis notabiliter excedat, occidendo v. g. in vasorem, quem aliis modis facile repellere potuisset, *Clement. cit. si furiosus &c.* quia contra injustum invasorem vim vi repellere ob sui tutelam, jure naturæ concessum est, & quamvis videatur etiam in hoc casu injusti invasoris, vim vi repellendo, occisi, *Trident. Sess. 14. c. 7. de refor.* irregularitatem inducere, dum Episcopus dat dispensandi in tali casu facultatem, intelligi tamen debet Concilium juxta declarationem Cardinalium de eo casu, quo quis excedit moderamen inculpatae tutelæ, quod diligenter observandum est, ita ut etiam fugere teneatur, ad evitandam occisionem, cui fuga graviter dedecorosa non est.

Ccc cc 3

Quod



Quod si verò propter defensionem proprii honoris, & famæ occidatur alter, qui iniuste infamat, aut inhonorat, fit occidens irregularis, prout colligi videtur ex cit. *Clement.* eos tantum ab incurrenda irregularitate, excipiente, qui mortem alteri vitare non possunt: cum ergo fama læsa, aut læsus honor aliis mediis reparari possiat, consequenter occisio infamantis, aut inhonorantis, magis ad vindictam videtur pertinere, quam iustam & necessariam defensionem.

## §. II.

*An is qui ob defensionem bonorum temporalium, quæ possidet, occidit aliquem, fiat irregularis?*

Fieri irregularem talem, multi docent, iuxta stylum Curie Romanæ, & ex multis Juris textibus probant: probabili tamen etiam est sententia contraria, negans eum fieri irregularem, qui pro defendendis rebus suis magni valoris alium occidit, tum quod bona talia temporalia ad vitæ sustentationem necessaria, quodammodo vitæ comparentur; si ergo licita est defensio ad vitam conservandam, etiam cum occisione iniusti inuasoris, servato tamen moderamine inculpatae tutelæ, licitum etiam erit, ad res suas magni valoris defendendas, eodem moderamine servato, iniustum rerum suarum inuasorem occidere, tum quod in iure nulla sit pro tali occisione statuta irregularitas, tum quod ea, quæ ex iure afferuntur, vel tantum à contrario sensu probare videantur, quod tamen, in materia pænali, præsertim in

materia irregularitatis, non licet, vel disiunctivè intelligenda sunt, vel obstant excessum inculpatae tutelæ.

## §. III.

*Quæ requirantur ad licitam defensionem cum moderamine inculpatae tutelæ, & quomodo puniatur excessus in defendendo sine hoc moderamine?*

UT observetur moderamen inculpatae tutelæ, requiritur primo, ut qui fit iniuste invaluus, vel certe in convenienti sit in vadendus iniuste ut occidatur, aliàs non esset defensio, sed aggressio. Secundo requiritur, ut defensio non possit fieri cum minore letione proximi, & hinc si ad vim iniustam repellendam sufficeret valuerat alterum, aut mutilare, non licet tamen occidere. Tertio requiritur, ut factus sit defensio sine gravi culpa, ne transferat in aggressionem potius, quam licitam defensionem. Quarto requiritur, ut alius modus honeste evadendi iniusti aggressoris manus, non lapsus, de quo judicabit prudentis viri arbitrium. Quod si tamen moderamen hoc inculpatae tutelæ in sui vel rerum suarum magni valoris defensionem excederet, occidendo, cuius ipsam vim alio modo repellere posset, curreret: hic occidendo irregularem, significasti 18. h. e. Cum in tali casu culpam ipsi potius imputaretur tale homicidium, & consequenter etiam ad pænam irregularitatis.



SECTIO IV.

De Homicidio publicâ auctoritate à iudice & eius ministris, & irregularitate ex eo contracta.

§. I.


Virum omnes, qui iuste & licite cooperantur ad prolationem sententia sanguinis seu mortis, vel ad executionem illius, sint irregulares?

Quod ex iusta etiam, & licita homicidii occasione, per iustam sententiam iudicis facta, publica auctoritate, quamvis nullum crimen interveniat, sed actus sit iustitiae vindicativae, irregularitas, quam vocant ex defectu lenitatis, contrahatur, certum est, eod quod iudicet Ecclesia, non posse latis lenitatem, & mansuetudinem Christi, summi Sacerdotis, representare eum, qui tali etiam iuste occisioni ex officio cooperatur, ut adeo hæc irregularitas non tam sit pœna, ob culpam aliquam præcedentem, qualis nulla est in tali casu administratæ ex officio iustitiae vindicativæ, sed macula aliqua moralis, & inhabilitas ad ministerium altaris ob defectum mansuetudinis.

Incurrit autem hanc irregularitatem ex defectu lenitatis, imprimis Iudex, Summo Pontifice inferior, sive Clericus, sive Laicus ille sit, qui fert sententiam mortis, aut præcipit, talem determinatè morte puniri, modo effectus sequatur. can. 1. dist. 51. juncta glossa K. ad Sacerdo-

tium c. Ex litteris 10. de excessib. Pralat. Deinde Assesores, Consultores, Notarii, & omnes alij, qui cum Iudice concurrunt ad ferendam mortis sententiam, vel ad ejus executionem, non autem, qui delegat tantum jurisdictionem criminalem in genere, ad cognoscendas omnes causas criminales, vel etiam in specie ad cognoscendam hanc causam v. g. homicidij, &c. (quo modo Prælati Ecclesiastici delegare criminales has causas cognoscendas solent, qui per delegationes tales aliud non intendunt, quam iustam gubernationem, sive exercendam iustitiam) aut qui remotè valde ad talem iustam punitionem cooperatur; & hinc opifices, qui gladios carnifici conficiunt, aut funes, vel qui furcam fabricant, scalam, aut ligna attulerunt &c. ad suspendendum, vel comburendum, vel plectendum reum, non sunt, ex hoc capite, irregulares, cum nimis remotè, & non ex officio concurrant.

Inquisitores tamen hæreticæ pravitatis, alij Iudices Ecclesiastici, qui reos de crimine convictos, tradunt curiæ sæculari puniendos, non incurrunt irregularitatem, etiam si ultimo supplicio hi puniantur (cum nec ipsi sententiam mortis in eum pronuntiant, nec Iudici sæculari jurisdictionem ad hanc inferendam tradant) modò pro eis efficaciter intercedant, ut citra mortis periculum puniantur, ad ostendendam mansuetudinem, & iustitiam Ecclesiæ, quæ ira permittit iustitiam vindicativam, ut lenitatis convenientis non obliviscatur.



§. II.



## §. II.

*An accusator criminis morte digni  
contrahat irregularitatem ratione ho-  
moris publicae auctoritate  
facti*

**A**ccusans aliquem de crimine, morte puniendo, si eum criminaliter accusat ad publicam vindictam, & non tantum civiliter ad privatum interesse, ac mors ex illius accusatione sequatur, irregularis fit, non obstante inuili protestatione, quod non petat, ut morte puniatur, (neque enim in accusantis talis potestate est, qua poena accusatus puniendus sit, sed vel à Jure statuta est, vel in arbitrio Judicis posita) cum sponte & liberè h. e. talis in iudicio criminaliter actio sententia Judicis, iustæ quidem, ad mortem tamen condemnari, cooperetur. Quod si tamen Clericus injuriam à Laico passus, coram Judice seculari, de crimine tali, laicum accuset, civiliter quidem, petendo damni illati recompensationem, Judex autem contra eum ad mortis usque sententiam procedat, non erit Clericus ob mortem accusati hujus irregularis, etiam si præviderit, à Judice mortis poenam infligendam, modò expressè & exterius protestetur in ipso iudicio, quod non velit agere criminaliter, neque petat vindictam criminis, sed civiliter tantum ad damni sui reparationem, *c. Posulasti 21. h. t. c. Prælati 2. eodem in 6.* (ne si omnino suos malefactores accusare non possint Clerici, nimia deus laicis licentia ad vexandos Clericos; & protestatio talis in iudicio civiliter intentato interposita satis caveat lenitati &

mansuetudini status clericali) unde etiam ipse Clericus ream laicum debere, Judici tradere, locum, ubi lateat, indicare &c. potest, ad damnum suum reparandum, & cum expressè, exterius protestatione, absque irregularitatis incurrendo periculo, cum enim accusatio in tali casu, & cum tali protestatione sit licita, erunt etiam alia media ad hunc finem necessaria, prout etiam colligitur ex *c. Tuas 19. §. ad ultimum h. t. & quamvis sit. c. 2. in 6. titulum de Clericis loquatur, quod non obstant irregularitas, si civiliter tantum ad sua damna reparanda accuset, etiam si Judex accusato mortem per sententiam iustam inferat, rectè tamen alij constitutionem hanc etiam ad laicos extendunt, qui civiliter tantum ad suam profectum accusant laicum, quem postmodum Judex mortis sententia pronuntiat, modò etiam illi dicto modo protestentur, quod ad vindictam languant nolit agere, sed civiliter tantum ad sua jura retinenda, vel damna reparanda, neque tamen talis protestatio parabit illum, & ab irregularitate securum faciet, qui de injuria vel damno, non sibi, sed alteri illato accusat aliquem, cum jura tantum eum vellet ad irregularitate excusatum, qui de sui malefactoribus &c. emendam sibi fieri, & prævideri vult. Cum enim defectio proprii juris sit maxime naturalis, consequenter facilius etiam à Jure conceditur. Sunt tamen plures etiam casus, in quibus protestatio necessaria non est. Primò scilicet quando necessaria est accusatio, vel denuntiatio ad impediendum v. g. reipublicæ damnum, quod*



aliter impediti non potest. Secundò si quis accuset aliquem de crimine levi, ex quo tamen occasionem sumit Judex propter alia crimina gravia, aliunde nota, occidere accusatum. Tertio si Judex ex propria malitia, & culpa excedat limites justitiæ punitivæ in occidendo reo, qui ad multam tantum pecuniariam fortasse condemnandus fuisset. Quarto si ob contumaciam condemnatus accusatus, quam prævidere non potuit accusator. Quintò denique si coram Inquisitionis tribunali, vel coram alio iudice Ecclesiastico accusatio instituat, cum enim hic ad sanguinis sententiam procedere non possit, frustranea esset protestatio.

## §. III.

*Quenam persona præter Judicem, & accusatorem fiant irregulares ratione homicidij talis publicæ auctoritate, & iuste commissi.*

PRIMò dubitatur de testibus, utrum illi, si in causa sanguinis testentur, irregulares fiant? cui dubio *re.* fieri eos irregulares, si in causa criminali, criminaliter acta, contra accusatum, testimonium ferant, & mors exinde sequatur, sive Clerici, sive Laici illi fuerint, sive protestati fuerint, sive non, cum protestatio in tali casu, ubi quis ferendo testimonium movet Iudicem ad ferendam mortis sententiam, & consequenter moraliter in mortem condemnati influit, sit contraria factò, non autem sunt irregulares, si pro innocentia accusati, vel in causa civiliter intentata, testimonium ferant, etiam si ex alijs deinde motivis ad mortem con-

*Compend. Pirking.*

demnet accusatum Iudex, cum in tali casu non sint causa moralis movens Iudicem ad ferendam mortis sententiam.

Secundò dubitatur de Advocato, an si contra accusatum in causa sanguinis patrocinetur pro accusatore, irregularis fiat, si postmodum sententia mortis & mors accusati sequatur. *re.* fieri irregularem in tali casu, etiam si inutiliter protestatus fuerit, cum in tali casu valde efficaciter ad sententiam influat, prout sumitur etiam ex *cit. c. 2. h. t. in 6.* si tamen pro reo stet advocatus, & eum defendat, reus autem nihilominus condemnatur, immunis est ab irregularitate, ob contrarium fundamentum: sicut etiam non sit irregularis, si pro reo steterit, accusator tamen, eò quòd succumbat, pœnâ talionis puniatur, cum in tali casu non tam ad punitionem accusatoris, quàm ad innocentiam rei defendendam concurrerit.

Tertio dubitatur de illis, qui in loco supplicij assistunt executioni sententiæ capitalis, utrum incurrant hi irregularitatem. *re.* si assistant tantum spectandi causa, nullam incurunt irregularitatem; si verò assistant, ut sua præsentia auctoritatem præstent executioni supplicij, vel cooperentur, incurunt irregularitatem, quia in illo casu nihil ad occisionem illam concurrunt, concurrunt autem in casu posteriori: putant tamen aliqui, Clericis *c. pen. Ne Clerici vel Monachi &c.* simpliciter prohibitum esse, non quidem graviter, sed cluso scandalo, sine rationabili causa assistere, & spectare cruentæ talis sententiæ executionem.

Ddd dd

☉(o)☉

§. II.



## §. IV.

*De homicidio contingente in bello,  
& irregularitate ex eo proveniente.*

Qui in bello injusto pugnantibus cooperantur, qualescunque auxiliū ferendo, arma præbendo, adhortando eos ad pugnam, sarcinas militum custodiendo &c. sunt irregulares, si vel unicus occidatur, & ipsi proprijs manibus non pugnaverint *can. Si quis. 4. dist. 51. c. sicut dignum 6. §. final. b. r. & c. Quod in dubijs §. juncta glossa v. incitant. de pœnis.* Cùm omnes ista velut una causa moralis, ad occisionem occisi concurrant. Qui vero laici in bello justo pugnant, aut taliter pugnantibus cooperantur, si bellum merè defensivum sit, ad patriam suam, suam, suorumque vitam, & magni momenti bona, defendenda &c. non incurrunt irregularitatem, quamvis plures occidant, cùm ob necessariam defensionem hæc talia fiant, quæ si privatis personis licita est, etiam cum occisione injusti invasoris, modò moderamen inculpatæ tutelæ non excedatur, ut dictum, longè magis erit talis necessaria defensio licita contra injustum aggressorem, si publicâ auctoritate fiat. Dixi Laicis hinc non imminere periculum irregularitatis, de Clericis enim dubitatur, si propriâ manu occiderint alios, etiam justæ defensionis causâ, propter *c. Petrus 24. h. r.* ubi dicitur, ut si de interfectione cujusquam in illo conflictu, defendendæ patriæ causâ, suscepto, conscientia illum remordeat, ab altaris ministerio (ut irregularis) abstineat, cùm in hujusmodi

dubio, ut ait Pontifex, consultius abstinere, quàm temerè celebrare, quamvis enim in tali bello, alio ad pugnam hortari possint, tamen in propria persona pugnare non possunt, nisi plura jura *causa 23. q. 1. ult.* exceptio necessitate omnio inevitabili. Si tamen bellum sit justum quidem, sed tamen offensivum, sive aggressivum, irregulares sunt, ex defectu perfectæ iustitatis, qui proprijs manibus alios interficiunt, ut probatur ex *Can. si quis 4. juncta Gloss. v. militaverit. dist. 51.* qui sunt quasi Ministri justitiæ, & quamvis dent operam rei licite, sine tamen proxima causa homicidiorum talium, qualis proxima causa non sunt adhortantes tantùm ad bellum tale, aut alio modo, sine occisione tamen aliorum cooperantes.

## SECTIO V.

*De Mutilatione, & dispensatione in prædictis de irregularitatibus.*

## §. I.

*Quid sit mutilatio, & quæ irregularitas ex ea contrahatur?*

Mutilatio propriè dicta, non est vulnere, aut sanguinis effusio, vel partis alicujus abscissio, sicut v. g. cartilaginis auricularum, &c. sed amputatio membri alicujus, ita tamen, ut membri nomine, in ordine ad hunc finem, intelligatur pars humani corporis, quæ propriam functionem, sive distinctum ab alijs membris officium



um habet, prout oculus v. g. est ad videndum, auris ad audiendum, manus ad palpandum &c. cuius mutilationis v. g. si quis causa sit physica, vel moralis, irregularis erit, siue iniusta causa sit, siue iusta ex auctoritate publica, ad vindictam criminum, instituta, prout de occisione dictum est, ex defectu scilicet perfectæ lenitatis, vel ex delicto mutilationis iniustæ, cum injure, quoad irregularitatem incurrendam, æquiparentur inter se homicidium & mutilatio membrorum. c. In archiepiscopatu 4. de reprobis, & Clement. uni. junct. Gloss. V. Mutilat. h. 2.

## §. II.

An qui membrum debilitat, vel aridum, & inutile mutat, vel abscindit, vel seipsum mutat, fiat irregularis?

Qui membrum aliquod inutile tantum facit ad suas functiones, lædendo v. g. illud, aut aliter vulnerando, absque membri talis abscissione, irregularis non fit, cum aliud sit membrum debilitare, & aliud abscindere, huic est posita in jure irregularitas, non autem illi, prout probari etiam potest ex can. Sicut 47. caus. 1. q. 1. quod si tamen quis abscindat membrum tale sibi, hinc & nunc inutile & plane mortuum, ac carens animâ, non fit quidem talis irregularis, cum hæc abscissio propriè mutilatio non sit, quæ dicit abscissionem membri vivi; irregularis tamen erit, si tale membrum hinc & nunc quidem inutile, & aridum, vitam tamen humanam adhuc habeat, quia verè mutat corpus huma-

num membro aliquo: quoties tamen alium mutilando fit aliquis irregularis, toties etiam fit irregularis seipsum mutilando, imò ad incurrendam irregularitatem sufficit nonnunquam sibi ipsi partem corporis etiam occultam abscidisse, uti patet ex Lib. 1. Decret. Tit. 20.

## §. III.

De dispensatione in irregularitate contracta & homicidio, & mutilatione.

Cum homicida injusto, & indirectè voluntario in irregularitate, quam propterea incurrit, nemo dispensare potest nisi Summus Pontifex, siue publicum illud sit, siue occultum, prout colligitur ex can. Miror. 4. dist. 50. junctâ Glossâ. V. Miror. & expressè statuitur in Trident. sess. 24. c. 6. de reform. & sess. 14. c. 7. de refor. nisi urgeat necessitas ad dispensandum cum occulto homicida. In irregularitate, quæ oritur ex mutilatione voluntaria & illicita, si occulta sit, probabiliter dispensare potest Episcopus, cum facultas dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, concessa sit à Concil. Trident. Episcopis, nisi proveniat ex homicidio occulto, cum ergo verba licentiam hanc concedentia universaliter loquantur, & homicidij nomine propriè non intelligatur mutilatio, consequenter restrictio Tridentini non videtur extendenda ad mutilationem, cum verba restringentia verba odiosa strictè sint intelligenda: prout etiam probabile est, quod Episcopus dispensare possit cum homicida occulto, qui non ex proposito & directè intende-

D d d d x

ret



ret homicidium, sed in rixa lubidò contingente, irà succensus, auctorem rixæ occidit, vel homicidium commisit casuale tantùm, cùm neque hoc homicidium sub rigida acceptione homicidij voluntarij veniat; & satis probabile sit, quod etiam post Tridentinum dispensare possit Episcopus in homicidio casuali mixto (saltem ad ordines minores, & beneficium simplex) sicut poterat de jure antiquo, quamvis publicum illud & notorium sit.

In irregularitate verò, quæ provenit ex homicidio, defensionis causa factò quidem, cum excessu tamen moderaminis inculpatae tutelæ, eoque occulto, certior sententia docet, quòd possit dispensare Episcopus, cùm Concilium tantùm excipiat homicidium directè, & simpliciter voluntarium, quale non est hoc, quod illicitum tantùm est ob excessum inculpatae tutelæ. Contra verò valde probabile est, quòd in irregularitatibus ex defectu perfecta lenitatis provenientibus, quamvis justè, & publicà auctoritate, & cum exercitio virtutis fiant illa homicidia, dispensare non possit Episcopus,

cùm in Concilio non detur facultas Episcopis dispensandi in quibus irregularitatibus, sed tantùm in illis quæ ex delicto proveniunt, quibus non est irregularitas, quæ provenit ex defectu perfecta lenitatis, & incurrit sine ullo delicto: neque tamen arbitrarie sententiæ suæ etiam negata est probabilitas, ita ut facillè concedatur etiam illos in irregularitate ex defectu lenitatis orta dispensare posse, quod ex privilegio conceditur postea dispensandi in omni irregularitate, excepta bigamiâ, & homicidio voluntario, cum homicidij voluntarij nomine, in rigore loquendo, veniat in iustum, & directè intentum, nisi privilegium tantum diceret, quòd dispensare quis possit in homicidio casuali, quo in casu in irregularitate ex defectu lenitatis dispensare non possit, cùm homicidium tale non possit dici casuale; & universarum quædam dispensationum non facillè debent privilegiari, circa fidem notorium, aut deductum ad forum contentiosum, cùm timeri possit, equalitè, offensa ordinariorum.

### TITVLVS XIII

#### DE TORNEAMENTIS.

**P**rohibentur in hoc Titulo, detestabiles illæ feriæ, quæ vulgò torneamenta vocantur, in quibus ex condictione convenire solent plures, & ad ostentationem virium suarum & audaciæ, temerè congregari, cum magno sæpius tam

vitæ, quam animarum periculo, ita ut his, qui taliter moriuntur, periculum quidem & sacrum viaticum, si perierint superviventes, non negetur, in partem tamen temerariæ, & periculoze ostentationis negetur illis sacra & Eucharistia.



fastica sepultura, nisi talia torneamenta cum tali moderamine fiant, ut celsa periculum mortis, quamvis raro &

per accidens etiam illa nonnunquam, aut gravis saltem vulneratio sequatur.

## TITVLVS XIV.

### DE CLERICIS PUGNANTIBUS IN DUELLO.

#### §. I.

*Quid sit duellum, & quando sit prohibitum, vel licitum? Et de penis iure statutis in eos, qui in eum illicitum duellum?*

**D**uellum quasi duorum bellum est (singularis scilicet pugna duorum inter se ex condicto suscepta) illicitum, & omni iure, tam naturali & divino, quam humano, civili & canonico prohibitum, siue deinde assumatur ad probandam aliquam veritatem & criminis purgationem (cum alia media ad hoc habeantur) siue assumatur ad vires corporis ostentandas; siue assumatur ad litem aliquam dirimendam; siue assumatur ad defendendum proprium honorem; siue assumatur ad spectantium animos exhilarandos, siue denique ad vindictam privatam assumatur. Sunt tamen etiam aliqui casus, sed pauci & rari, ac bene examinandi, in quibus subinde licita esse possunt duella, praesertim iuxta regionum quarundam, tribunalium, & iuris antiqui praxim, de quibus vide Auctores.

Penae autem, quae de iure in duellantes, aut duellis cooperantes, statutae

sunt, ex Tridentino praecipue desumuntur, *Sess. 25. c. 19. de refor.* ex quo loco habetur primo quod excommunicati sint Imperatores, Reges, Princes, Principes, Comites & alii quicumque Domini temporales, qui locum concedunt in suis terris ad duellandum. Secundo quod privandi sint illi iurisdictione, & dominio civitatis, castri, vel loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserunt, si locum talem ab Ecclesia in feudum v. g. obrinent. Tertio quod duellantes & eorum patrini excommunicationis, bonorum omnium proscriptionis, & perpetuae infamiae poenam incurrant, & iuxta SS. Canones, ut homicidae puniri debeant. Quarto si in ipso conflictu decesserint, quod carere debeant sepultura Ecclesiastica. Quinto denique quod excommunicationis vinculo etiam teneantur illi, qui consilium ad duellum tam in Jure, quam in facto dederunt, qui (ex condicto scilicet) spectatores adfuerunt. Et quamvis has poenas Tridentinum incurri tantum voluerit ab illis, qui publica & solemniter duella, adhibitis pluribus solemnitatibus chartularum v. g. provocantium submissione, armorum electione, adhibitis patris &c. habuerunt, aut his

Ddd dd 3

coope-



cooperati sunt, extendit tamen easdem pœnas Gregor. 13. in sua Bulla ad tollendum: ad duella etiam privata, quæ ex condicto quidem, statuto tempore & loco, sine patris tamen & sociis adhibitis ac sine aliis solemnitatibus fiunt. Et adhuc magis Clemens VIII. decretum Tridentini extendit, quia tamen Bullarum harum extendentium, vel nulla est in Germania nostra memoria, vel nulla eorum praxis, quod receptæ scilicet nunquam fuerint, hinc censuræ tam graves vix extra duella solemnia incurruntur.

## §. II.

*Quæ pena in iure Canonico statuta sint in Clericos pugnantes in duello?*

**Q**uod tales Clerici sint deponendi, sive suspendendi per sententiam

Judicis ab officio & beneficio, de jure antiquo statuitur in c. porro 7. h. t. sive ad duellum, quod hic & nunc committunt, provocaverint ipsi, sive provocati sponte acceptaverint & comparuerint, cum neutrum liceat. Quod si tamen mors ex tali duello vel mutilatio nulla sequatur, potest cum talis ratione suspensionis scilicet dispensare Episcopus, prout ex sine illius capituli, juncta Gloss. V. deponendus non tamen ratione irregularitatis, si quantitate mortis vel mutilationis, curia per alium certaverit, & occidit, incurrit c. Henricus 2. h. t. Iure tamen novo Tridentini taliter in duello pugnans Clericus ipso jure est excommunicatus, ne scilicet jura benigniora sint erga Clericos duellantes, quam erga laicos, cum tamen illorum delictum gravius sit.

## TITVLVS XV. DE SAGITTARIIS.

**P**rohibet quidem in hoc titulo, artem illam odibilem & mortiferam sagittariorum contra Catholicos exerceri sub pena anathematis, hoc tamen tantum prohibitum intelligitur in bello injusto, in bello autem justo licitum est quibuscunque armis contra hostes uti, quia ta-

men vix aliquis hujus artis amplius in usum est, & Barboza putat, per figuratam hanc intelligi eos, qui se de re cum hæretico inuito, animam illi & corpus addicunt, si illius opera, quam longissime difficos sentire & trahere possint, hinc ulterior mentio necessaria non est.





T I T V L V S XVI.  
DE ADULTERIIS ET STUPRO.

S E C T I O I.

*De crimine adulterii & ejus penis.*

§. I.

*Quid sit adulterium, & quibus modis committatur?*

**A**dulterium est alieni thori violatio, duplicem malitiam continens, unam luxuriæ, in quantum est copula viri cum femina extra conjugium, & injustitiæ, quia est cum femina alterius uxore, huic, ut suo marito ab auctore naturæ DEO, adstricta, cui juri cedere non potest maritus, aut uxor. Quod si tamen solutus rem habet cum uxorata, aut conjugatus cum soluta, simplex dicitur adulterium, & de jure civili pænæ in adulteros constitutæ in tali casu locum non habent, sicuti locum habent etiam de jure civili, si conjugatus cum conjugata aliena copulam habeat, quod adulterium duplex dicitur tam ex parte viri, quam ex parte feminae.

§. II.

*De accusatione criminis adulterii.*

**A**n te omnes alios ad accusandum crimen adulterij admittitur innocens

maritus, (cùm hujus vel maxime inter sit, fidem conjugalem sibi servari) nisi colludere magis cum uxore adultera videatur, aut ex alio capite infamis arguatur, ut non accusare possit jure mariti, sed jure extranei, quo in casu præferretur, quoad accusandum adulterium, pater adulteræ, qui etiam nolente marito agere, ad accusandum filiz suæ adulterium admittitur, & post eum propinquus alij, ac tandem extranei, cùm adulterium inter crimina publica numeretur, ad quæ accusanda quilibet de populo admittitur, dummodo sit mas, & major 25. annis. Neque tamen ad accusandum mariti adulterium de jure Civili, si criminaliter ad legalem pænã agat, tam facile admittitur uxor adulteri hujus, cùm major ab uxore debeatur reverentia marito, & majus delictum uxor committat adulterando, quam maritus &c. de jure tamen canonico, secundum quod pari iure damnatum est tam viri, quam mulieris adulterium, hoc non procedit, cùm utriusque parti innocenti plena potestas sit de adulterio criminaliter etiam accusandi iuxta *Can. si quis 4. caus. 32. q. 1. junct. Gloss. V. ad imparia*, ubi dicitur, quod vir & uxor in adulterio deprehensi non iudicentur ad imparia quoad debitum reddendum, divortium, & accusationem.

Debet autem accusatio adulterii fieri,  
si



si fiat à marito jure speciali, aut à patre, si nolit accusare maritum, inter 60. dies utiles, à die soluti per divortium matrimonij, ita ut, prioribus cessantibus, post elapsos 60. dies, etiam extranei admittantur, intra 4. menses utiles, & accusari potest de adulterio non tantum adulter, & adultera, modò sciverit eam partem, cum qua copulam habet, conjugatam alteri esse (nam adulterium sine dolo malo non committitur) sed etiam qui talibus adulteriis cooperantur, quæritum v. g. ex adulterio facientes, Jencinium exercentes, prostituendo ad adulterium uxores, domum concedendo ad talia admittenda &c. & si agatur criminaliter ad pœnam sanguinis, aut mortis, solus Judex secularis potest cognoscere, ob periculum irregularitatis; quoad alias verò pœnas legales, mixti fori hoc delictum est; si verò ad divortium tantum civiliter agatur, ad Judicem Ecclesiasticum tantum pertinet talis cognitio, prout ex dictis jam patet.

## §. III.

*Quomodo probandum sit adulterium?*

Quod non possit directè probari per testes, vel per documenta, aut instrumenta, sed indirectè tantum ex solis præsumptionibus, flagitij hujus occultè committi soliti turpitudine facit. Et quamvis ad plenam probationem adulterij non sufficiat quælibet probabilis suspicio, sed requiratur violenta præsumptio, saltem ad condemnandum, quæ moralem certitudinem facit, & virum prudentissimum inducere potest.

ad judicandum adulterium esse commissum, plures tamen enumerantur à Menochio de præsumpt. l. 5. præsum. 41. & à Sanchez l. 10. de Matr. disp. 12. & disp. 22. ubi videri possunt, l. apud Auc. Metho. hoc §.

## §. IV.

*An Maritus teneatur uxorem adulteram non respicientem dimittere, nec eam sibi reconciliare, nisi post peccatum penitentiam, & emendationem?*

**R.** Affirmativè, ex c. si vir, 3. h. t. quia patronus censetur turpitudinis, qui crimen celat uxoris, non qui Cod. ad legem Juliam de adulter, non quidem, quasi obligatio se separandi ab uxore adultera oriatur ex adulterio patris, quia penes innocentem est divertere, vel non divertere; neque quòd oriatur præcisè ex præcepto correctionis fraternæ, quia huic præcepto locus fieri posset, admonendo uxorem; sed ex præcepto vitandi scandali, (se vitæ patrocinari videatur adulterio uxoris) si alijs medijs vitari illud non possit, & causa justa urgeat retinendæ uxoris. Neque tamen potest uxori adulteræ respicienti maritus denegare alimenta necessaria, cum hoc medium ad finem omnimodæ emendationis obtinendum, sit nimis acerbum, & occasiones præberet turpis quæstus faciendi.

## §. V.

*Quæ sint pœna adulterij tam criminales, quam civiles?*

**A.** Niqui testamenti pœna in adulteris statuta, & quæ de jure civili



Caesareo decreta est adulteris poena gladij, & quae denique de jure Canonico in adulteros statuta est poena excommunicationis, vel omnino sunt abrogatae, vel saltem in nostra Germania non sunt in usu, ubi plerumque non tantum adulterorum poenae, sed alijs etiam delictis statuta, arbitrariae sunt, & in poenam commissi adulterij hodie adulter & adultera tribus diebus dominicis, vel festis ante fores templi cum accensa face, vel candela stare debent. De Clerico vero statuunt SS. Canones, ut si adulterium commississe confessus, seu convictus fuerit, ab officio & ordine clericali deponatur, ac communione fidelium privetur, & in Monasterio (vel carcere hodie) ad agendam ibi poenitentiam collocetur, prout habetur ex *can. si quis. 10. dist. 81.* quamvis merito dubitari possit, utrum hujus etiam poenae aliqua hodie praxis superstit. Vide plura de his poenis apud Auct. Mech. §. cit.

## §. VI.

An & quando Adulterium unius  
Conjugis compensetur cum adulterio  
alterius?

Compensari per adulterium conjugis, prius conjugis alterius adulterium, non tantum quoad divortium, ut ex dictis jam patet, sed etiam quoad alias poenas civiles, probatur ex *l. Viro 39. ff. soluto matrim. & ex c. Intelleximus 6 h. t.* quia in causis civiliter actis datur delictorum mutua nonnunquam compensatio. Quod si vero post divortij latam sententiam conjugis prius innocens adulterium committat, probabile

Compend. P. 178. g.

quidem est, quod non obstante sententia divortij, petere possit, ut admittatur ad consortium dimissi, conjugis separatus, cum in sententia lata divortij, ea clausula subintelligatur, *si vir v. g. servaverit continentiam*: quae si non observetur, jus suum acquirit iterum dimissus; valde tamen probabile etiam est, quod nulla competat actio ad repetendum conjugem dimissum, a quo propter adulterium separatus iusta sententia quis fuerat, etiam si post sententiam divortij, conjugis prius innocens, adulterium commiserit, cum in tali casu nulla fiat injuria per adulterium, post sententiam divortij commissum, quae est fundamentum mutuae compensationis, quamvis possit Judex Ecclesiasticus ex officio suo reintegrare prius matrimonium, & eos inter se reconciliare, ob animae periculum, & ad vitanda peccata.

## §. VII.

De alijs causis excusantibus a  
poenis adulterij.

Essant etiam poenae adulterij tam civiles, quam criminales, si uxor v. g. violenter fuit oppressa; si adulterium commissum fuit cum consensu viri, qui eam prostituit; si post adulterium innocens nocentem retinuit, & sibi reconciliavit; si propria auctoritate uxorem in adulterio deprehenam occidit maritus; si moriatur maritus ante accusationem adulterij; si tempus accusationi praefixum, quod solet esse, durante matrimonio, quinquennium a die commissi criminis, sit elapsum. &c.

Ecc ee

SECTIO



SECTIO II.  
De stupro eiusque  
pœnis.

## §. I.

*Quid sit stuprum strictè, & specificè sumptum, & quomplex. sive quomodis committatur.*

STuprum latè acceptum pro omni illicito concubitu masculi cum fœmina sumitur, propriè tamen, & strictè dictum, de quo hîc sermo est, est illicita virginum defloratio; & quidem si hoc fiat cum violentia, proprièsimè dictum stuprum est, si tamen volenti virginitas corporis auferatur, stuprum quidem est, sed non violentum. Illud malitiam speciei distinctam à simplici fornicatione continet, contra iustitiam; non autem hoc (cùm volenti & consentienti non fiat injuria) sive deinde interverit etiam consensus parentum, aut tutorum, sub quorum cura puella consentiens vivit, cùm penes puellam v. g. sit, sui corporis usum alij concedere.

## §. II.

*Quæ sint pœna stupri decreta de jure civili, ac canonico.*

Quæ pœnæ de jure civili in stupratorem sunt latæ, in terris Imperij vix locum habent, cùm etiam hæ hodie factæ sint arbitrariæ, sed servatur pœna quæ de jure canonico lata, si civiliter scil. contra stupratorem agatur: nempe, quodd Virginem stupratam dotare, vel in uxorem ducere debeat, prout colligitur ex c. 1. & 2. h. t. dotando scil.

eam, si nubere illi nolit, aut potest tradere nolit, ad quod neutra pars compelli potest; & dotando eam juxta equalitatem personæ, ut quæ bene natus possit, ac si corrupta non esset, & quamvis de Clerico stupratore SS. Canonones statuunt, hodie tamen etiam illi deponendus, quod ab officio illi pœna est arbitraria.

## §. III.

*Ad quid præterea stuprator virginis in varijs casibus obligetur ad stuprum illatum, vel non?*

SI per vim, fraudem, minas, aut modicè in justè incussum consentiam puellæ in sui defloratione evocet stuprator, teneri hunc ad omnia damna illi exinde subsequenda reparanda, juxta naturam contractus, si stuprata velit, vel per dorem competentem illi subministratum, vel per augmentum dotis, ut æquè bene habere possit, ac si corrupta non fuisset, ita ut penes violatam sit eligere, quæ satisfactionem fieri sibi velit, & ipsam sententiam condemnantem Judicis, ad talem determinatè satisfactorem, obligetur stuprator, modò hæc non notabiliter majus damnum et tali reparatione imminet. Quod si tamen nullum ex tali stupro stupratæ damnum perire æstimabile, sequeretur, ita ut æquè commodas nuptias habeat, ac si corrupta non fuisset, aut si libere & sponte sua, nulla fraude, aut vi inducta consentit in sui violationem, vel blandit tantum, munusculi, precibus &c. persuasiva fuit, ad nihil tenetur stuprator, cùm ubi nullum damnum datum est.



nulla possit esse damni reparandi obligatio, neque volenti fiat injuria, quæ reparanda sit; & quamvis parens, sub cuius potestate constituta est filia, dotem augere debeat, ut æquè bonas nuptias obtineat, ac si deflorata non fuisset, si tamen volens illa fuit ad sui deflorationem, nihil patri restituere debet stuprator, cum damni causa non sit stuprator, sed filia liberè consentiens in sui deflorationem, penes quam etiam libertas est bene vel malè nubendi.

## §. IV.

*Ad quid teneatur, qui stupravit virginem, sub spe ac promissione Matrimonij?*

**S**I serio animo promittit matrimonium, & illa hac promissione inducitur in copulam consentit, tenetur promittens eam ducere (quia reciprocus & onerosus est contractus talis, ita ut alter etiam obligetur ad fidem servandam, nisi de novo intervenerit dirimens impedimentum aliquod, quod contrahere matrimonium tale non permitteret) etiam si promittens voto simplici castitatis, aut religionis obstrictus sit, cum votum non obliget in præjudicium juris, quod femina corrupta sub promissione matrimonij acquisivit; neque Deo placeat voti facti observatio, quod sine gravi alterius injuria servari non potest: quia etiam, si factè promittendo matrimonium, consensum in stuprum obtinuit, tenetur eam ducere, si ipsa velit; nec satisfaciet suæ obligationi pecuniam dando, pro damno per stuprum illato, quia ex contractu oneroso ex una parte im-

pleto, ad matrimonium determinatè obligatur per æquivalens non implendo, nisi ipsa violata consentiat, aut notabilis excessus sit promittentis, supra conditionem fœminæ, præsertim si de eo excessu ipsi etiam violatæ constitit, aut ex verbis ambiguis promittentis, vel ex alijs circumstantijs, fallacem animum facile colligere potuit; aut promittens etiam à violata, quæ fingebat se virginem, deceptus fuisset; aut alia notabilis mutatio interveniret, vel scandalum, vel malus etiam exitus ex tali matrimonio timeri posset.

## §. V.

*An stuprum sit crimen mixti fori & quomodo probandum?*

**C**ontra Clericum stupratorem cognoscit Iudex Ecclesiasticus, contra Laicum stupratorem Iudex secularis; & quamvis sit crimen mixti fori, ita ut si pœnâ Canonicâ tantùm puniendus sit stuprator, Ecclesiasticus Iudex etiam contra Laicum stupratorem procedere possit; si verò pœnâ Civiles in stupratorem à jure Civili, aut receptâ consuetudine statutz, imponendæ sunt, ad Iudicem Laicum cognitio hujus criminis pertinet: ita tamen ut violata in foro externo præsumatur fuisse Virgo, si communiter pro tali tempore stuprationis habita fuit, & stuprator, si neget eam Virginem fuisse, tempore, quo cum eam habuit, debeat hoc probare, quia præsumptio fiat pro puella in re ista, de qua meritò gloriatur puellæ, & mulierum sollicitæ sunt: quæ tamen præsumptio, si Iudicem quidem inducat ad do-

Ecc ee 2

tem



tem v. g. solvendam puellæ à stupratore, falsa tamen sit, probari tamen falsa non possit, non potest in foro conscientie dotem illam retinere puella; prout etiam retinere non potest, si falso asserat, invitam se, & fraudibus inductam, in sui violationem fuisse, cum sententia Iudicis falsâ nitatur præsumptione, quæ in foro conscientie cedit veritati. Probatum autem stuprum eisdem fere indicij & præsumptionibus, quibus conjugatæ adulterium probatur, cum etiam hujus vitij turpitudine vix aliam admittat probationem.

## SECTIO III.

*De aliis delictis carnis, eorumque penis.*

**A**git Auc. Meth. de hac materia bus §§. hujus Sectionis, quæ tam vel civilia tantum sunt, vel ex Theologis moralibus satis intelligi possunt, et pœnæ delictorum talium erudite dant, nulla videtur ulterior necessitas explicationis.

## TITVLVS XVII.

## DE RAPTORIBUS, INCENDIARIIS, ET VIOLATORIBUS ECCLESIA RUM.

**A**gitur in hoc Titulo non tantum de raptoribus v. g. honorum, sed etiam personarum, & hinc explicari etiam debet illud impedimentum dirimens, quod raptus dicitur. Sit ergo

## SECTIO I.

*De raptu, & raptoribus, eorum personarum, seu corporum, eorum etiam rerum, seu honorum.*

## §. I.

*De raptu, & raptoribus Virginum, & aliarum mulierum, eorumque penis?*

**R**aptus proprie quidem, in genere tamen loquendo, censetur com-

mitti, quando Virgo, vel etiam alio mulier, siue vidua, siue conjugata, siue soluta sit, modò ingenua sit, & libera (non ancilla, aut quæ impatiens vivit) libidinis, aut matrimonio contrahendi causâ per vim abducitur, siue illa illata sit ipsi fœminæ abducitæ, siue parentibus, aut tutoribus illius, sed raptus cura adhuc est, siue utrumque. Pœnæ autem in raptores tales à jure Canonico sunt plures, capitis supplicium scilicet, præter. im si Deo fuerint delectatæ abducitæ, et missio omnium beneficiorum, quòd matrimonium nullam contrahi possit, raptorem inter & raptam, &c. de jure Canonico verò raptus pœnitetur pœnâ servitutis, & si Clerici fuerint, de raptore, vel raptorem adjuvante, de-



ponendi sunt à gradu suo Clericali, si verò Laici sint, sunt excommunicandi, & bona talium, si rapta religiosam vitam vixerit, Ecclesie vel monasterio sunt applicanda, in quo rapta vigeat, &c. Nescio tamen utrum pœnarum harum tam Civilium, quam Canoniarum usus hodie adhuc vigeat.

§. II.

*Quenam condiciones requirantur, ut raptori incurrant pœnas jure communi Civili, vel Canonico in eos statuas?*

Quatuor ex communi requiruntur. Primò, ut raptus fiat cum violentia illata, vel ipsi raptus, vel ejus parentibus, aut tutoribus, in quorum est potestate: si tamen parentibus tantùm invitis violenta abductio facta est, mitior pœna imponenda est raptoribus, vel nulla etiam incurritur (saltem de jure Canonico) si tractatus de matrimonio contrahendo sive sponsalia cum rapta præcesserint *c. Cum causa. 6. h. t.* quamvis invitis parentibus, ipsa tamen volens ad matrimonium cum ea contrahendum fuerit abducta. Secundò requiritur, ut fiat raptus talis, exercendæ libidinis causâ, quia raptus personæ propriè loquendo est species luxuriæ. Tertiò requiritur, ut mulier traducatur de loco in locum, abducendo scilicet eam à loco, ubi habitabat, ad alium locum. Quartò denique requiritur, ut mulier rapta sit honestæ vitæ, raptor enim meretricis pœnas allatas non incurrit, sed extraordinariâ pœnâ, arbitrio Iudicis, puniendus est; in foro tamen conscientie non est distinctio fa-

cienda inter honestam mulierem & meretricem, cum in utroque casu sit violenta abductio.

§. III.

*De matrimonio contracto inter raptorem & raptam.*

De jure Civili matrimonium absolutè nullum est inter raptorem & raptam, ut dictum, & constat ex *L. unica Cod. de raptu Virgi. Et ex Authent. de raptis mulieribus Collat. 9. Novella 143.* De jure autem Canonico prohibitum quidem olim fuit matrimonium inter raptorem & raptam, aut quamcunque aliam, ut constat ex *Concil. Tolet. can. statutum 34. caus. 27. q. 2.* (si tamen alienam sponsam de præsentibus rapuit) validum tamen fuerat, si postea in raptorem liberè consensit rapta, quamvis in raptoris potestate adhuc existeret, *can. Trias. 8. caus. 36. q. 2. Et c. Accedens 7. h. t.* cum per consensum consequentem tolleretur vitium præcedens: attendenda tamen hodie sunt, quæ Tridentinum Concilium statuit. De quo

§. IV.

*Quid jure novo Concilii Tridentini statutum sit circa matrimonium inter raptorem & raptam initum, & quæ pœna ob illum raptum sine decreto?*

Statuit Tridentinum *sess. 24. c. 6. de refor. mari.* nullum posse consistere matrimonium inter raptorem & raptam (etiam si ille non physicè rapuit, sed tantùm rapi aliquam mandaverit, ut cum hac matrimonium iniret) nisi hæc in locuto & libero constituta; extra omnem

Ecc ec 3

raptore



raptoris potestatem, illum in virum habere liberè consenserit. Ex quibus verbis colligitur, quòd raptus, qui sit invitâ abductâ, sit impedimentum dirimens matrimonium inter raptorem & taliter raptam, etiam si hæc in raptoris potestate adhuc existens liberè in eum consentiat; sânt quidem & aliæ pænæ ab hoc Concil. Tridentino l. cit. in raptore, vel qui auxilium &c. raptoribus præbent, statutz, excommunicatio scil. perpetua infamia, incapacitas ad dignitates, obligatio dotandi raptam, etiam si cum ea contraxerit matrimonium &c. debeat tamen rigide raptus intelligi ad pœnas illas incurrendas, & non incurraatur, si volens puella, sive post sponsalia de futuro abducta fuit, aut si abducta tantùm fuit ignorantibus parentibus v. g. cum in neutro casu violentia intervenerit, quæ tamen ad raptum propriè dictum requiritur.

## §. V.

*De rapina & raptoribus bonorum, eorumque pœnis jure Civili statutis.*

**R**apina propriè loquendo dicitur, injusta rei alienæ mobilis per vim ablatio. Distinguitur à furto rapina in ratione injuriæ, quantum furto propriè dicto superaddit violentiam. Pœnæ autem in rerum talium raptore de jure civili plures statuuntur, quæ apud Civilistas videri possunt, cum illarum præcis varia sit, & propè in pœnas arbitrarías abiverint.



## §. VI.

*Quomodo puniantur raptore in bonorum de jure Canonico.*

**P**lura quidem extant capitula, quæ de pœnis his statuunt. Sic in c. illis r. h. t. statuitur in eos ferenda communicatio, ab eo etiam Episcopo, ubi rapinas exercent, proprio deinde Episcopo illius raptoris significando, ut ad locum, ubi rapinas fecerunt, redire cogantur, & satisfacere. In c. super eo 2. h. t. statuitur, ut raptoribus & Ecclesiarum violatoribus penitentia denegetur, nisi prius ablati restituerint, si tamen possint restitutionem facere, ita tamen ut sepe sufficienter restituissent, & plenam securitatem emendandi præstituisse, & in articulo mortis, quamvis ad hunc usque articulum contumaciter sua malitia perstiterit, penitentia ei negari non debeat, si humiliter eam petiverit, nec sepultura Ecclesiastica, abstinuerit, vel certè emendandi securitatem præstiterit, &c. Vide quæ de hoc ipso capitulo plura adhuc habet, in c. de c. communicationi. h. t. editi. Metho. cum horum capitulorum hæc non sit usus vel saltem valde cum & magis moderatus iuxta billam Casus Domini, &c.

## §. VII.

*De potestate, quam habent Prælati Ecclesiastici judicandi de rapina & aliis criminibus, eisque puniendi.*

**Q**uòd possint Prælati Ecclesiastici laicos criminosos punire, et vi delere.



delegatæ etiam illius potestatis à Magistra culaico, modò punitio non requirat pœnam sanguinis, ex c. in Archiepiscopatu 4. h. t. patet, præsertim si delegatorialis fiat à Principe laico in favorem Ecclesiarum, ac salutem animarum: si tamen mixti fori crimen sit, non tantum ex vi factæ sibi delegationis, sed ex ordinaria sua jurisdictione spiritali iudicare, & punire illud potest Episcopus.

eorum denuntiationem factam c. Tuos 19. de sent. excommunicata. aliorum verò ædificiorum non sacrorum incendiarij, sicut & mandantes, & qui auxilium illis præbent, præter damni dati restitutionem, sunt per sententiam Judicis excommunicandi Can. si quis 31. caus. 23. q. 3. Et nonnunquam etiam privantur sepulturâ Ecclesiasticâ, nisi in morte pœnitentes & absoluti moriantur. c. in litteris 5. h. t.

SECTIO II.

§. II.

De incendiariis & violatoribus Ecclesiarum.

De violatoribus Ecclesiarum, & eorum pœnis?

§. I.

De incendiariis & eorum pœnis.

Incendiarii propriè dicuntur illi, qui datâ operâ apposito igne, scientes, & prudentes civitatem, domum, aut prædium alienum &c. incendunt, sive urbanum hoc sit, sive rusticum, sive ex odio & vindicta, sive ullo dolo malo hoc faciant, aut mandatum, vel auxilium &c. ad hoc faciendum præstent, nisi belli iura tales excusent. Pœnæ autem, quas incurrunt hi incendiarii, de iure civili sunt pœna capitis vel exilii, vel levior etiam castigatio, iuxta leviores fortassis culpam, aut negligentiam admissam &c. De iure verò Canonico incendiarii sacrorum locorum sunt ipso iure excommunicati Can. Canonica 107. caus. 11. q. 3. à solo Papa absolventi post

Violatores Ecclesiarum, hinc dicuntur, qui Ecclesias, vel alia loca religiosa & pia violenter effringunt, ac spoliant. In quos pœna excommunicationis latæ sententiæ statuta est. c. Conquesti 22. de sentent. excommuni. Neque sunt admittendi ad pœnitentiam, si manifestè fuerint deprehensi, nisi prius damna reficiant, vel de illis caveant, aut sint in articulo mortis constituti, ita tamen ut ad pœnitentiam tum quidem admittantur, Clericis tamen prohibitum sit, eorum interesse sepulcris, aut elemosynam ab illis accipere, sub pœna depositionis ab ordine, & privationis beneficiorum, prout etiam de raptoribus statutum est, juxta cit. c. supra eo, &c.

30) 30

TITV.



## TITVLVS XVIII,

## DE FURTIS.

## §. I.

Quid sit furtum, & quod-  
tuplex?

**F**urtum à Jurisperitis definitur, quòd sit *contrectatio fraudulosa, lucri faciendi causa, vel ipsius rei, vel usùs eius, possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere; clarius ac brevius à Theologis furtum definitur, quòd sit occulta acceptio rei alienæ, invito Domino, ita ut ad furtum punibile in foro externo non sufficiat sola voluntas furandi, aut consilium dedisse ad furtum faciendum, nisi acceptio rei alienæ secuta fuerit, (intelligendo tamen acceptiois nomine, etiam detentionem rei alienæ) neque sufficiat sola acceptio rei alienæ, quæ sit v. g. vidente & nihil contradicente Domino, sed debeat esse fraudulosa, vel occulta; neque sufficiat tantùm injustè rem alterius destruetam v. g. fuisse, cum injuriæ reus potius hic sit, quàm furti, quod sit lucri faciendi causâ, & debeat esse rei alienæ acceptio, vel usùs, vel possessionis, quia in re sua nemo propriè furtum committit, nisi usus, aut possessio ad alium pertineat, uti sit in usufructu, in jure pignoris, &c.*

Furtum autem aliud manifestum est, aliud non manifestum, Manifestum est, quando quis cum re furtiva in loco,

ubi furtum fecit, vel in ipso delicto deprehenditur; non manifestum est, quando fur non est visus in tali loco, & actu, cum re furtiva. De delictis furtorum plura adhuc alij.

## §. II.

Quibus modis, & à quibus committatur furtum, vel non?

**E**X dictis jam patet furtum committi non tantùm si quis vitæ re vitæ, contra voluntatem Domini, quod fieri potest in usu depositi, pignoris, & pluribus aliis casibus, de quibus Civilis, propter varias de jure Civili tutas pœnas. Et quævis de jure Canonico etiam ille furti reus habetur, qui furti conscius est, & hoc non tantùm Domino, cui res abiata est, si in possessione suo gravi incommodo possidet. *De sum fure 4. h. t. & argu. c. pœna 47. de sentent. excommunic. ac c. dicitur 6. eod. in 6.* Nulla tamen in tali casu ex jure est obligatio, sed tantùm ex charitate, nisi ex officio talis, ad manifestandum teneretur, aut ex præcepto legitimi Magistratus per inquisitionem generatim procedentis. Vide plura de his quæ Theologos morales vel Auc. Melch. h. §.



## §. III.

## De penis furti jure civili statutis.

**P**RO diversitate furtorum, aut personarum de furtis reatum, variaz sunt de jure civili actiones, & pœnz, quas rectius apud Civilistas videre est.

## §. IV.

## Quomodo puniantur furta de jure Canonico?

**C**Lerici in furto deprenti, aut convicti de eo infames fiunt, & depouuntur ab officio clericali, prout statuitur in *Can. Presbyter. 12. dist. 81.* & si depositus ob furtum incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, & tandem si in contumacia perseveret, traditur puniendus sæculari potestati per exilium, aut aliam similem pœnam. Et quamvis ratiōe infamiaz, quam incurrit, promoveri non possit ad ordines, si tamen sponte fuit crimen confessus, & læso satisfecit, neque publicè de furto infamatus fuit, poterit post peractam pœnitentiam promoveri, si aliàs sit idoneus *arg. c. ult. de tempor. ordi. iuncl. Gloss. V. Promoveri.* aliz pœnz vix sunt in usu. Videatur de his pœnis. *Canonicis Bernardinus Biaz. in sua practica criminali Canonica.*

## §. V.

## De aliis diversis furtorum generibus, eorumque penis.

**I**Nter furta numeratur etiam primò sacrilegium, quod est furtum rei sacre,

aufferendo scilicet rem sacram de loco sacro, vel de loco non sacro, vel non sacram aufferendo de loco sacro, si custodiaz, aut securitatis causâ in loco sacro res talis non sacra deposita sit. Pœna autem sacrilegii, præsertim si res sacra aufferatur, est extraordinaria, & arbitraria. De jure canonico autem imposita est pœna pecuniaria, *Can. quisquis 21. caus. 17. q. 4.* perpetua infamia, ut tradantur carceri, vel in exilium perpetuum relegentur, & nisi fecerint se correxerint, anathemate feriuntur, usque ad congruam satisfactionem.

Secundò numeratur inter furta, Plagium, quod aliud non est, quàm liberi hominis, qui sui juris est, abductio, animo celandi illum, & hinc qui taliter abductum, tanquam servum v. g. vendit, plagiarus dicitur. Pœna autem plagii olim de jure civili fuit pecuniaria, hodie est gravior, pro personarum tamen, quæ plagium committunt, qualitate augenda vel minuenda. De jure tamen Canonico videtur talium pœna excommunicatio, vel alia, citra mortem tamen, juris pœna.

Tertiò numeratur inter furta peculatus, qui nihil aliud est, quàm furtum pecuniæ publicæ, ita ut nomine pecuniæ intelligantur res omnes ad ærarium Reipublicæ, aut fiscum Principis, aut ad Ecclesiam pertinentes. Pœna huius criminis de jure civili est arbitraria, usque ad ultimum supplicium. De jure canonico autem pœna huius criminis est, si à Clerico committatur, excommunicatio, aut depositio.

Quartò numeratur inter furta etiam abigeatus, ita ut qui pecora ex armentis, fœcis,



Pascuis, aut gregibus abducunt, abigei dicantur, & crimen abigeatus committere. Pœna horum si frequentius delinquant, est gladius, ita tamen ut nonnunquam in personis honestioribus temperetur pœna, & gravior etiam illa sit, si effractis v. g. stabulis pecora fuerint abjecta.

Quintò denique inter furta gravia numerantur, furta commissa in incendio, vel naufragio. Quæ pœnâ extraordinariâ puniuntur pro qualitatibus personarum.

✠(✠)✠

## TITVLVS XIX. DE USURIS.

### SECTIO I.

#### De usuris in genere.

##### §. I.

*Quid sit usura, & quotuplex?*

**U**surâ duplici modo accipi potest, vel proprio contractu usurario, vel pro lucro, quod ex contractu usurario acquiritur. Priore modo accepta describitur, quòd sit actus voluntatis dandi vel accipiendi lucrum aliquod temporale, ultra sortem ex vi & causa mutui præcipaliter. Posteriore modò accepta, est ipsum lucrum immediatè ex mutuo proveniens, tanquam debitum, ita ut id, quod mutuo datur, capitale sive sortidicatur, quod, ultra verò accipitur, sit usura, vel fœnus, aut lucrum supra sortem, ita ut hoc nomine intelligatur quæcunque res pretio æstimabilis temporalis, si in pactum illius datio deducatur. Dividitur

autem usura in genere primò in mentalem, & realem. Mentalis est, quando quis mutuat actum exerso, ut acquiritur ex mutuo lucrum aliquod, tanquam ex iustitia debitum, quamvis nullum interveniat pactum expressum, vel tacitum, realis est, quando quis in pactum deducit, expressè vel tacitè, ut ultra sortem, ratione mutui talis, lucrum sibi solvatur. Secundò dividitur in formalem seu expressam, & virtuale seu palliatam. Illa est, quando expressè mutuum do, ut lucrum inde ex pacto habeam. Hæc est, quando sub pretextu v. g. alterius contractus, venditionis v. g. pignoris &c. lucrum implicitum supra sortem queritur. Tertio dividitur in compensatorias, ubi pacificè v. g. de solvendo aliquo supra sortem, ob damnum, periculum sortis, lucrum celans &c. ratione mutui imhi evententis in punitarias, ubi sub certa pœna precligo ad solutionem mutui tempore præfixo faciendam, & in merè lucratarias, ubi



ubi lucrum præcisè ratione mutui ex pacto quaeritur.

## §. II.

*Quo jure sine Usura prohibita.*

**R** Usuras lucrarias, quæ propriè usuræ dicuntur, sive formales illæ & expressæ sint, sive palliatæ & virtuales, omni jure tam naturali, quàm positivo, tam Divino, quàm humano prohibitas esse, juxta illud *Luce 6. mutuum date, nihil inde sperantes; & juxta plurimos SS. Canonum textus, ac ipsam rationem naturalem, quæ contra justitiam commutativam, in hoc lucro exigendo, & accipiendo peccati, clarè ostendit. Et quavis sint, qui velint, certas usuras à jure civili permissas esse, melius tamen dicunt alij, Leges tales civiles, ad majora mala cavenda, permittere avaritiæ hominum, certas usuras (prout hodie pro 100. permittuntur 5. floreni, quamvis lucrum hoc 5. florenor. ù florenorum, propriè loquendo usura non sit) à jure Canonico correctas esse, in quantum talium usurarum exactio peccatum continet. Neque dici potest, quòd volenti & consentienti non fiat injuria, ergo nec usuras solventi, cum volens consentiens sit, à illas solventas. Transeat enim axioma illud antecedentis, si sponte, liberè ac simpliciter consentiens talis sit, negatur autem si coactus quasi, & invitus est, sicuti est solvens usuras, nunquam has soluturus, si mutuum sine usuris habere possit.*



## §. III.

*An Usura licitè possit exigi, & accipi, ob favorem pæ causa, vel aliud opus bonum, saltem dispensativè?*

**R** Negativè, prout sumitur ex *6. super eo 4. h. 2. cum usurarum crimen, ut ait Pontifex, utroque testamento, novo & veteri, prohibitum sit, in quo dispensari non potest, neque facienda mala sint, ut eveniant bona, aut auferendum divitibus aliquid, ut detur pauperibus &c. & hinc non possunt Principes supremi facere licitas usuras (quæ amvis pœnam usurarij subeundam remittere possint) si v. g. à Judæis pecunia mutuo accipitur, aut illis datur; quod enim jure naturali prohibitum est, non potest positivâ Principis voluntate, licitum fieri.*

## §. IV.

*Utrum dominium usurarum transferatur in Usurarium?*

**Q**ua in re certum est, si solvens usuras non habeat voluntatem dominium usurarum transferendi in usurarium, quòd usurarum talium non fiat Dominus usurarius, ob defectum scilicet voluntatis transferendi dominium (prout facere potest solvens usuras, non ut transferat dominium, sed ut exterius fidem datam servet) nisi res tales usurariæ in pondere, mensura, aut numero consistentes cum rebus suis ejusdem qualitatis commiscuisset usurarius, ubi dominium talium usurarum acquireret usurarius titulo permixtionis. Si tamen

Fff ff 2

ab



ab hac voluntate solventis usuras, aut permixtione usurarij, abstrahatur, dubium adhuc manet, utrum dominium usurarum acquirat usurarius, quod in utramque partem probabiliter disputatur. Ita ut communior quidem sententia nullum usurum talium per se dominium concedat usurario, cum sine titulo justo, qualis hic nullus apparet, non transferantur dominia; alij tamen probabiliter doceant, acquirere quidem dominium rerum per usuram acceptarum usurarium, sed inefficax & revocabile, ita ut obligatus sit ad restituendum, quidquid per usuram accepit, cum penes solventem usuras absoluta quidem voluntas sit, eas usurario solvendi, prout ex pacto, & conventionem debentur, voluntas tamen hæc sit aliquo modo involuntaria, & consequenter talis solvens usuras se habeat, sicuti se habet ex gravi metu promissa solvens, quorum quidem dominium in promissarium, sed revocabile & inefficax transfertur.

De alijs rebus, quas per usuras sibi comparavit usurarius, emendo v. g. agros ex pecuniâ per usuram acceptâ &c. si queratur, an dominium illarum rerum sibi acquirat usurarius. primò si per pecuniâ ex usuris acceptam, negotiando v. g. illâ, aut eâ ludendo &c. sibi aliquid acquisiit, dominium rei taliter acquisitæ habet, ita ut non teneatur eam restituere, aut mutuatario, aut cuiquam alij, cum iusto pretio eam sibi comparaverit, quamvis pecuniâ ex usuris acceptâ tenetur mutuatario restituere, tanquam iniquè acquisitam.

☉

SECTIO II.

*De pactis tum illicitis & usurarijs, qua contractui mutui adijci nequeunt, tum licitis, quæ apponi possunt absque usura.*

§. I.

*De pactis, ob quæ contractui mutui adjecta, is effectus usurarum.*

**I**N genere dici potest, quod per omnia pactum, seu conventionem, per quam præter sortem, præciè vi mutui. propter id, quod mutuo intrinsecum & proprium est, lucrum exigitur, seu gravamen, ac onus quæcumque imponitur, sive nova obligatio ex iustitia, ad quam aliàs non tenebatur, addatur contractus mutui usurarius, cum in iure cogatur, quidquid in mutui contractu præ sortem exigitur, quæ sortis si habetur, contractum debitum ad æqualem tem compensatur, & extinguuntur. In specie tamen

Usurarium est primò aliquid præ sortem accipere, pro obligatione non repetendi ante certum tempus pecuniæ mutuo concessam ad certum tempus, & de eo pacisci: hæc enim obligatio non repetendi mutuum ante tempus ad quod concessum est, est intrinseca & libere voluntatis mutuo, ut ne transeat in precarium, & ne videatur frustra mutuisse, & quæ gratis in tali mutuo extenditur libertas, turpissima avaritiæ & iniustitiæ maculetur.

Secundò usurarium est, si ille cui mutuum concedo, mutuatarius scilicet, ex pacto obligetur ad vicissim postea mutuum



am dandum mutuanti, quia in tali casu onus aliquod pretio æstimabile imponitur à mutuante mutuatario, quod est supra sortem; quoddam tamen pro mutuo dato in præsentem exigas vicissim à mutuatario mutuum, ut v. g. si pecunias velit hinc & nunc à te mutuas habere, vicissim ille frumentum vel vinum tibi mutuum concedat, usurarium non est, quia potes merito beneficium petere ab eo, cui beneficium præstas, modò non sit speciale onus, & nihil supra sortem exigatur; sic potes etiam pro obligatione mutuandi pecunias in te suscepta, obligare alterum ad mutuum tibi dandum frumentum si petas, cum in tali casu, par utrinque servatur obligatio, penes te quidem ad dandas pecunias, penes alterum verò ad dandum frumentum, & nihil oneris pro mutuo dato imponatur aut accipiatur.

Tertio usurarium est, mutuare cum pacto, ut mutuatarius mutuanti beneficium aliquod, aut officium publicum conferat, aut obtineat, quia supra sortem exigitur in tali casu aliquid, tanquam justitiæ debitum; si enim propter mutuum concessum benevolentiam tantum alterius & gratitudinem expectes, absque pacto obligante nulla usura committitur, cum in tali casu nulla justitiæ obligatio interveniat, qua supra sortem solvi quid debeat.

Quarto usurarium est, mutuare cum pacto, ut mutuatarius condonet injuriam ipsi à mutuante, vel alio huic conjuncto illatam, quia imponitur onus, quasi ex justitiæ debitum, quod in sortem non computatur, aut computari solet, & exigitur pro mutuo, aliquid pre-

tio æstimabile supra sortem, remissio scilicet juris, quod habet injuriæ affectus ad compensationem & pœnam petendam.

Quinto usurarium est, mutuum dare cum pacto, ut mutuatarius obligatus sit ad fidejuben- dum pro mutuante, ob onus scilicet novum, quod est supra sortem nisi fidejussio non tam ut precium mutui exigatur, quam ut conditio, sine qua nolit quis mutuare. Plures casus videri possunt, in quibus usura committitur apud Theologos.

## §. II.

*An mutans aliquid ultra sortem, seu rem mutuo datam exigere possit ratione damni emergentis?*

**R** affirmativè: neque enim teneor cum meo damno alteri mutuum dare, cujus ego ad damnum meum aver- tendum indigus sum, ita ut mutuatarius, si fortassis in mora fuit solvendi mutui, quod potuisset solvere, ac mutans interea damnum in rebus suis passus fuit, quod præcavere potuisset, nisi morosus mutuatarius moram traxisset in solvendo, teneatur ad omne damnum tale reparandum, cum in tali casu nullum lucrum supra sortem accipiat mutans, aut ad onus aliquod obliget mutuatari- um, ad quod ex naturæ jure non est obligatus, sed damni sui præcisè reparationem querat, & accipiat.

Ut autem sit obligatio, aut possit in pactum deduci obligatio damni reparandi, requiritur primò, ut mutuum sit causa damni, si enim aliunde mutans habeat, unde possit damnum sibi inmi-  
nens



uens præcavere, nihil à mutuatario ratione damni peti, aut accipi potest, quasi debitum ex iustitia. Secundò debet mutuans mutuatarium præmonere de damno emergente, quia fortassis nollet cum tali onere accipere mutuum. Tertio requiritur, ut damnum, si quod eveniat ante tempus solutioni præfixum, sit deductum in pactum, saltem sub generali clausula, solvendi aliquid supra sortem; aliàs sibi imputare debet mutuans, quòd non melius damno suo caverit, nisi coactus fortasse ad mutuandum fuerit, quo in casu interesse damni emergentis exigere potest, etiam si nihil de eo conventum sit.

## §. III.

*An & quomodo in mutuo aliquid liceat, & sine usura exigi, vel accipi possit ultra sortem, ratione lucris cessantis?*

**S**I lucro suo privatur mutuans, eò quòd pecuniam v. g. quam ad lucrum faciendum destinaverat, in toto à dare debuerit ali, aut lucrum perierit mutuant, eò quòd mutuatarius in culpabili mora solvendi fuerit, tenebitur ratione lucris cessantis mutuatarius satisfactionem facere, etiam ultra sortem dando aliquid juxta prudentis arbitrium, neque ulla in tali casu usura committitur, etiam si nihil de lucro cessante reparando in pactum deductum fuerit, cum lucro suo injustè in tali casu à mutuatario privetur mutuans. Quòd si tamen sponte mutuum dederit v. g. pecuniam ad lucrum faciendum destina-

tam, potest de lucro cessante pacisci, cum mutuario, mutuant, & tenebitur ille ex pacto ad lucrum cessante reparandum, si quòd cessavit mutuant ante solutionis tempus elapsum, & quòd in pactum deductum est, supra sortem solvendo aliquid, absque altero periculo pro ratione pacti, in quòd mutuatarius cum mutuant convenisset, quia enim in tali casu supra sortem solvitur aliquid præcisè ratione mutui, sed ratione lucris cessantis, quòd in gratiam illius, cui mutuum datum est, sibi mutuant. Bene tamen observandum est primo, ut lucris cessantis fieri possit pactum, & haberi ratio, non tantum in spe remota debere esse lucrum cessans pecunie scilicet talis, quæ hic & nunc mutuo datur, impendendæ fortassis ad lucrum faciendum, si aliqua daretur hujus occasio, (cum lucris adeo incerti nulla sit habenda ratio) sed quòd pecunia talis jam distinetur ad lucrum faciendum, vel negotiationem v. g. neque aliunde haberi potest hoc lucrum, si pecunia talis mutuo datur.

Observandum est secundo, ut non plus exigatur ratione lucris cessantis, quàm spectatis omnibus circumstantiis, & expensis faciendis, (spei lucris, quòd hic & nunc cessat, valet, nisi mala tantum indeterminate lucris cessantis compensationem in pactum deducere. Tertio denique observandum, quòd interesse lucris cessantis non debeat distim, & anticipatò à mutuatario exigi, sed tempus solvendi mutui expectari, ne preliata, in tali casu anticipatæ solutionis, committatur usura.



## §. IV.

*An ratione periculi, cui mutuum exponitur, licite possit aliquid supra sortem exigere?*

**S**i periculum sit, ne res mutuata pereat, eò quòd vel per maria transferenda sit, vel per vias & itinera periculosa &c. & propterea mutuans aliquid supra sortem exigit, cum contractus usurarius non est, cum in tali casu non tam vi mutui supra sortem accipiatur aliquid, sed propter assecurationem, quam præstat mutuans mutuatario, periculum alienum, rei scilicet mutuatæ, & in dominio mutuatarii jam existentis, perdendæ, in se suscipiens, sicuti enim sine usura potest rei alienæ periculum in se suscipere, & propterea ab eo, in cujus gratiam tale periculum subit, accipere aliquid, cum assecratio talis rei alienæ sit pretio æstimabilis, sic potest etiam pecuniæ v. g. mutuo alteri datæ, & in dominium illius translata, assecurationem ex pacto pro pretio aliquo in se suscipere, sine usuræ periculo (quamvis ex sententia probabili juxta c. *Naviganti* 19. & ult. h. t. contractus talis assecurationis, in foro externo Ecclesiastico, præsumitur usurarius, factus scilicet ad palliandam usuram supra sortem ex mutuo accipiendi aliquid, nisi post longum jam mutuatæ pecuniæ tempus, talis assecurationis contractus primum superveniat, quo in casu nulla usura in tali assecuratione præsumi posset.) si tamen periculum sit perdendi mutui non ratione rei mutuatæ taliter periculose transferendæ, sed quòd mutuatarius sit in periculo inopiæ,

fraudentis, & non usque ad eò bonæ fidei debitor, ut merito timere possit mutuans, sortis etiam in tali casu perdendæ periculum sibi imminere, aut certe non sine multis incommodis & expensis acquirendæ, potest pro periculo sortis, aliquid per pactum assecurationis exigere ultra sortem sine usura, modò non cogatur ad hoc mutuatarius, sed ad invitationem quidem mutuantis, liberè tamen & sua sponte pactum tale ineat, cum enim periculum in tali casu in se suscipere sit pretio æstimabile, consequenter nulla injuria fit, pretium in tali casu pro periculo assecurationis accipere.

## §. V.

*An in mutuo licitum sit pactum, ut mutuatarius, si tempore statuto non solverit mutuum, seneatur certam penam solvere ultra sortem?*

**R** affirmative, neque ullam in tali pœna statuendam, aut solvendam intervenit usuram (quia pœna talis ultra sortem non solvitur vi mutui, sed ob moram & culpam non soluti mutui) si tamen debitor sit in mora notabili, & culpabili, aut tempus ita breve solvendi mutui præfigatur, ut possibile non videatur, intra hoc solutionem à mutuatario expediri posse (quo in utroque casu, in fraudem videtur apposita talis pœna ad palliandum lucrum usurarium) & quod pœnæ loco exigitur, sit moderatum & culpæ proportionatum.

✽(o)✽

## §. VI.



## §. VI.

*An pactum adjectum mutuo, ut res mutuata restituatur, in eadem mensura. Et bonitate, etiamsi pretium ejus creverit, sit usurarium?*

**Q**Ua in re certum est primò, si tempore dati mutui æquè dubium sit, an tempore solutionis pretium, seu valor rei mutuatae major aut minor sit futurus, licitum esse pactum tale, & nullam usuram continere, quia in tali casu æqualis est utriusque contrahentis conditio, tam quoad lucrum, quàm quoad periculum, per accidens & casu fortuito eveniens, quale pactum tamen licitum non esset, si augendi pretij moralis habeatur certitudo. Secundo certum est, licitum etiam esse tale pactum, si mutuans rem illam, quam hinc & nunc mutuam dat, in tempus illud servaturus fuisset, quo tempore majus illius pretium est, cum ex charitate, quàm mutuam hinc & nunc dat, non debeat suarum rerum pati damnum. Tertio certum videtur, si probabiliter prævideatur, rem hinc & nunc mutuò datam minus valituram tempore solutionis, quòd possit mutuans ad præcavendum sibi damnum pacisci cum mutuuario, sine usura, de restitutione faciendâ mutui, in ea qualitate v. g. in qua nunc accepit, ut viginti sibi scaphas frumenti v. g. reddat, cui hinc & nunc decem scaphas mutuas dedit, si tempore solutionis hujus faciendæ viginti scapharum pretium adæquent decem scapharum mutuò datarum, quia in tali casu non petitur aliud, quàm pretium æquale illi, quòd mutuò

dedit, ergo nihil supra sortem, et nullius usuræ periculum est (& contra Ætus hic potius innotinatus dicitur est, do, ut des: quàm mutui contractus modò ad tale pactum secum incertum non cogat mutuarium mutuaria. Quòd dicendum videtur, si tempore mutuò datae, nihil conventum sit, & scienda solutione mutui secundum mutui currentem, aut tempore solutionis futurum valorem, neque quòdquam augendo, vel minuendo pretij periculum sit, rectè præsumi intentionem contrahentium fuisse, ut juxta conditionem mutui, res mutuata reddatur in eadem specie, mensurâ ac bonitate, si pretium creverit, si non creverit, pro ut mutuò data fuit, ut supponitur in *L. Vinum 22. ff. de rebus creditis*. Videtur de hac re Civilista, quòd forum pereternum, & quòd forum ecclesiasticum Theologi, cum nulla juris capitula de re hac agant.

## SECTIO III.

*De usuris, qua committuntur in venditione, & emptione, & an contractus censetur sit usurarius.*

## §. I.

*An sit usura rem pluris justo pretio vendere ob dilatam pretij solutionem, & vicissim rem minoris emere, quam valet, quia presentis pecunie emitur?*

**R**em pluris vendere, quàm valet, & quòd differatur solutio pretij, & non



minoris emere, quam nunc valeat, eò quòd presenti & numeratà pecunià emat à venditore, per se & spectatà rei naturà, ac in foro conscientiæ, usura est (palliata) in foro tamen externo tanquam usurarius talis conuerti ac condemnari non potest; cum enim taliter vendens vel emens, sine ulla causa à justo pretio recedat, consequenter lucrum illud, quod supra, aut infra justum pretium acquirit, videtur habere ex vi mutui, sub venditione, aut emptione hac palliati & latentis; quæ prava voluntas, cum in opere externo non appareat, excusat quidem talem in foro externo, quominus usurarius conueniri, aut condemnari possit, non tamen excusat eam Deo, qui scrutator est cordium; nisi ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, vel ex simili causa, aut quod dubium sit, utrum tempore solutionis, aut traditionis, res pluris, aut minoris sit æstimanda, & in tale tempus venditionem, aut emptionem dilaturus esset venditor vel emptor, &c. videatur *6. In ciuitate 6. h. t. c. Consu. luit 10. §. c. Naviganti. final. eodem.* Quæ tamen in re bene etiam notandum est, quod in *ci. c. In ciuitate.* monet Pontifex, melius saluti suæ consulere, qui à talibus contractibus abstinent.

## §. II.

De venditione, & emptione censuum, sive reddituum annuorum in genere.

Vix amplius his temporibus, quibus omnes lucris inhiant, aliqua propriè *Compend. Pirking.*

dicti mutui est ratio; & quamvis multi clament, pecunias suas, seu res alias suas mutuas se dedisse; quòd tamen propriè loquendo mutuum non fecerint, ex spe acquirendi inde lucri colligitur, cum illorum mens non sit, mutuum dare, & nihil inde sperare, prout mutuum fieri debere, Christus ipse *Luca 6.* docet, sed pecunià suà, sterili per se, lucrum facere; & hinc in locum mutui frequentissimus hodie usus est, emendorum censuum, in quantum scilicet per pecuniam alteri datam, jus sibi comparavit dans talem pecuniam, ad annuum censum, sive pensionem ab altero, cui pecuniam talem dedit, exigendam, pro centum florenis v.g. datis, censum 5. florenorum, ita ut ille, qui receptà pecunià ad annuos redditus solvendo se obligavit, censuarius dicatur, ille verò, qui ob datum pretium percipit tales census, censualista vocetur.

Diuiditur autem census in reservativum & consignativum. Reservativus est, quando quis dominium etiam directum rei suæ in alium transfert, reservatà sibi pensione aliquà, viz ab emphyteusi distinctus contractus, nisi quòd in hoc contractu dominium tantum utile, in contractu verò census reservativi etiam directum dominium transferatur, & emphyteuta suo tempore non solvens pensionem, suà emphyteusi excidat, ut dictum alibi, non autem censuarius, census reservativi, sed ad omnes pensiones debitas & non solutas obligatus maneat. Consignativus verò census, cujus hodie frequentissimus usus est, & de quo potissimum hinc agitur, censetur esse, quando quis certo pretio jus annuæ

GGG GG pen-



pensionis ex re alterius percipiendæ sibi  
 emit, pro centū florentis v.g. emendo sibi  
 scapham frumenti, aut quinque florenos  
 in singulos annos solvendo. Subdividi-  
 tur autem hic consignativus census pri-  
 mō in realem, qui super re aliqua frugi-  
 fera constituitur, super agro v.g. horto,  
 domo, &c. Ita ut pensionis solvendæ ob-  
 ligatio rei illi, ad quemcunque demum  
 pervenit, adhæreat; & in personalem,  
 qui super certa persona constituitur, quæ  
 ratione suæ artis v.g. utilitatem affert;  
 & in mixtum denique, in quo tam res  
 aliqua, quàm persona obligata manet,  
 ita ut census talis non pereat, alterutro  
 pereunte. Secundō subdividitur in cen-  
 sum perpetuum, & temporalem; ille  
 non finitur per mortem censuarij, sed  
 transit ad hæredes; hic ad certum tan-  
 tum tempus obligationem suam exen-  
 dit. Tertiō subdividitur in censum fru-  
 ctuarium, ex fructibus solvendum, &  
 in censum pecuniarium, ex pecunia sol-  
 vendum. Quartō subdividitur in cen-  
 sum irredimibilem, qui ratione pacti ad-  
 jecti ex neutra parte redimi potest; &  
 in censum redimibilem, qui intra cer-  
 tum tempus, vel absolutè, si placuerit  
 v.g. venditori, aut emptori, aut utrique  
 pro diversitate pacti redimi potest.

§. III.

*Utrum licitus sit census realis, sive  
 perpetuus, sive temporalis, tam redimi-  
 bilis, quàm irredimibilis, an verò  
 sit usurarius & illicitus?*

**R**espondetur primò licitum esse, &  
 nullam usuram includere censum  
 realem, sive perpetuus ille sit, sive tem-  
 poralis, sive vitalitius, sive aliter redi-  
 mibilis, si per emptionem & venditio-

nem in re frugifera constitutus sit in fru-  
 ctibus vel pecunia solvendus, quod  
 pretium sit iustum, tale scilicet, quod  
 vel lege taxatum est, vel consuetudine  
 approbatum: prout constat ex cetero  
*Regimini 1. & 2. de empti. & vendit.  
 inter communes*: Neque enim in-  
 tractus talis est mutuum, quocirca  
 cunque demum apud Germanos voca-  
 tur, sed vera emptio & venditio, &  
 consequenter sicut totum mutuum  
 ex re aliena percipiendum esse de iure  
 vendere quis potest, ita potest mutuum  
 re, & vendere partem fructuum et pro-  
 dio alieno, in fructibus, vel in pecunia  
 solvendum, quod fit in contractu cen-  
 suali reali; & quidem sive in perpetuum  
 ille constitutus sit, sive ad certum tem-  
 pus (quamvis enim si in perpetuum, non  
 ad longum tempus census constituitur  
 & ematur, plurimum septem annis  
 pensiones solvendæ, pretium, quod de-  
 positum est, pro jure eas pensiones per-  
 cipienda, quia tamen in tali contractu  
 ipse pensiones, quàm jus eas percipiendi  
 emitur v.g. jus autem tale minus perni-  
 culis & incommodis sepe obnoxium  
 consequenter multò minus est vitiosum  
 tale, quàm pensiones solvendi, & potest  
 esse inter pretium expositum, & pretium  
 æqualitas sufficiens) sive irredimibilis  
 ille sit, sive redimibilis (cuiusmodi sunt  
 venditiones cum pacto redimendi, licet  
 licitæ) ita tamen ut pro censu irredimibili  
 redimibili (præfertim si pactum redimendi  
 rationis in se suscipiat etiam venditori  
 majus pretium solvi debeat, quoniam in cen-  
 su ex parte venditoris tantum redimibilis  
 cum in illo casu onus aliquod imponitur  
 venditori speciale (onus scilicet ad sub-  
 stantiam)



citum emptoris recipiendi jus censûs, quod vendidit, reddito pretio, pro illo jure dato, aut onus assicurationis, transferendo scilicet censum, si res censui subiecta casu fortuito pereat, in aliam rem) quod utrumque pretio æstimabile est. Neque tamen contractus censualis utrinque redimibilis, vel saltem redimibilis ex parte emptoris, tolerari facile debet, ob intentionem usurariam, & pericula usurarum sub tali contrahendi modo sæpe latentia, & hinc tam in constitutionibus summorum Pontificum Martini V. & Calixti III. quàm in constitutione Caroli V. Augustæ in Conciliis Imperialibus anno 1548. edita, contractus tales censuales, quibus conceditur emptori facultas redimendi, prohibiti sunt ex præsumptione usurarum,

## §. IV.

*An licitus & iustus sit census personalis perpetuus tam irredimibilis, quàm redimibilis ex parte solius venditoris?*

Quod census personalis non ita possit constitui in persona libera, ut si ea non sit solvendo, creditor possit debitorem vendere, vel servituti subicere, sicuti prædium vendi potest, & vindicari, certum est, sicuti enim homo liber non potest pignori dari cum periculo venditionis. *c. 2. de pignori.* sic nec potest census, cum tali periculo, in eo constitui. Quod autem licitus & iustus sit census personalis, ita ut persona talis & ejus hæredes, si census sit perpetuus, sint obligati, ex laboribus v. g. suis & operis, ad pensionem annuam

solvendam, & censuario jus acquiratur, ad illam pensionem exigendam, sive redimibilis talis contractus sit, sive irredimibilis, consuetudo in multis provincijs recepta probat, & à paritate census realis ostenditur. Argumenta in contrarium vide apud Auctor. Metho. soluta. §. 5.

## §. VI.

*De conditionibus ad contractum censualem requisitis.*

DE jure naturæ quatuor conditiones requiruntur, ut iustus & licitus sit contractus censualis. Primò requiritur, ut in re sufficienter frugifera, vel quæ pro tali habetur, annuus census constituatur, ut suo tempore haberi pensio possit, sive deinde in re immobili, sive mobili constituatur, modò usus illus non sit consumptio illius, & separari possit dominium ab usu rei. Secundò requiritur ut iusto pretio (de lege vel consuetudine taxata, ut dictum, vel si hæc non habeantur, juxta prudentis arbitrium) census talis vel jus ad pensionem ematur. Tertiò requiritur, ut si res, ex qua pensio solvitur, reddita sit infructuosa v. g. vel omnino perierit sine culpa censuarii, censualista damnum ferat, seculo speciali assicurationis v. g. pacto, cum enim censualista sit dominus juris percipiendi pensionem, sive census, res autem domino suo pereat, consequenter etiam hoc jus, si pereat, domino, censualistæ scilicet petire debet. Quarto denique de jure naturæ non potest res, censui subiecta, in scio censualistæ, alienari,

Ggg gg 2

nari,



nari, ne jus censuaria fiat deterius aut difficilius. De jure vero positivo Ecclesiastico in *extravagant. Martini V. & Calixti III inter communes de empt. & vendit.* requiritur, primò ut res immobilis, certa & fructifera designetur, cui census imponatur. Secundò ut illa sola obligata maneat pro censu, & non persona, aut alia illius bona. Secundò ut pretium justum solvatur, quod varium potest esse, juxta varias conditiones. Quartò ut pretium, quo census emitur, statim solvatur presenti pecuniâ. Quintò ut venditor ad redimendum censum non adstringatur quidem, relinquatur tamen ipsi libertas vel totum certum redimendi vel per partes &c. plures adhuc conditiones à Pio V. in Bulla super hac re, requisitæ fuerunt, prout apud *Tanne. tom. 3. de just. disp. 7. dub. 4.* vel apud *Less. de just. c. 22.* videri possunt, quia tamen in nostra Germania, aut Bulla hæc promulgata nunquam fuit, aut usu contrario abrogata, census in his partibus non tam secundum illius Bullæ tenorem, quam juxta receptam consuetudinem instituuntur, quæ observari debet, modò nihil juri naturæ contrarium fiat.

#### SECTIO IV.

*De usuris qua committuntur circa pignora & hypothecas.*

Quæ prioribus duobus §§. ab Autore Method. hic examinantur, sufficienter colligi possunt ex *Tit. 12.*

*lib. 3. Decretal. §. 5. & ex prioribus hoc Tit. §§. sit ergo*

#### §. III.

*An contractus sive pactum Antichristos sit illicitum, & usurarium, etiam montes pietatis usuram contineant?*

**P**actum antichristos, ut tantum dicitur fructus pignoris lucrari, licet forte, donec debitum solvatur, sit illicitum & usurarium est, propter publicam usuram, quæ in tali pignore contractu lateret: & hinc non facile, ad credendas tales usuras res immobilis & fructifera in pignus dari debet.

Montes pietatis dicuntur certæ summa, quæ à Principe aliquo vel Domino loci, aut communitate relictæ collectæ, & destinata est, ut temporibus pauperes v. g. pecuniam, qua mutuam accipere possint, ad certum tempus, pro certo pignore deponant, ut mutuatarij pro singulis mensibus exiguum aliquid solvant, supra hoc, ad conservandum montem pietatis, & stipendia ministrorum &c. hujusmodi montes pietatis licitos esse, & nihil usurarios, probant Summi Pontifices, approbantes eos, pauperum, quibus juvantur, necessitas, & communis utilitas.

§§. 30

SECTIO



## SECTIO V.

De obligatione restituendi  
usuras.

## §. I.

An & quibus teneantur usurarii  
restituere usuras?

Usuras restituendas esse, & quidem illis, à quibus fuerunt extortæ, vel eorum hæredibus, jure naturale probat, quod vult, ut injustè læsus restituatur, & bona illi sua, quorum dominium non amisit, solvendo usuras, reddantur. Quod si tamen nec illi, à quibus usuræ extortæ fuerunt, neque eorum hæredes supersint, & de acceptatione usurarum non constet, nisi in foro conscientie, vult Pontifex inc. *cum tu* §. *h. t.* ut in pauperes vel Ecclesias, vel alias causas pias restitutio fiat (ut omni scil. quo possunt modo, suis dominis usuræ profint, & reddantur) nisi inopia debitoris à restitutione excuset, vel hanc differre patiatur.

## §. II.

An omnes usurarii restituere te-  
neantur usuras, etiam hæredes  
eorum?

Omnes recipientes usuras obligantur ad restitutionem, sive Clerici, sive Laici sint. *c. 1. 2. §. 7. h. t.* etiam Iudæi, tanquam iniqui possessores rei alienæ, aut restitutioni obnoxii, cum juris naturalis præceptum de damno alteri non dando, & rebus suis restituendis, &c.

omnes urgeat. Et probari etiam potest argu. *c. Post miserabilem 12. h. t. §. e. Quanto 18. eodem.* & si usurarii tempore vitæ suæ usuras non restituerunt, debent illæ restitui ab hæredibus defuncti. *c. Tuanos 9. h. t.* juxta portiones suas, quas ex hereditate acceperunt; (sicut enim de aliis damnis injustè datis à defuncto, obligantur eorum hæredes, ita etiam de vitæ, in foro externo juxta confessionem Inventarii, in foro conscientie autem juxta vires hereditatis) ita ut nunquam etiam legatarii ex suis portibus legatis teneantur.

## §. III.

Quinam, & quo pacto cooperantes  
ad usuras exigendas vel solvendas  
teneantur ad restitu-  
tionem?

Quod omnes illi, qui sunt causa efficiens ex parte mutuantis, ut usuræ exigantur, & accipiantur, ad restitutionem, saltem secundo loco, in defectum usurarii, teneantur; qui verò ex parte mutuatarum usuras solventis se tenent, suggerendo illi subsidia v. g. ut usuras promissas solvere possit, ad restitutionem nullam obligentur, ex cooperatione efficaci injusta, vel non injusta probatur. Et hinc Magistratus, qui statutis suis cogunt subditos ad usuras solvendas, vel harum repetitionem & restitutionem impediunt, quod sub excommunicatione in *Clem. uni. h. t.* prohibitum est, ad restitutionem obligantur, in defectum usurarii nolentis, vel non potentis restituere, (nisi ad cavenda majora mala permitterent tantum usurarum solutionem, vel ex alia justa causa etiam præciperent)

Ggg gg 3 quam



quam obligationem ad plures etiam alios efficaciter cooperantes se extendere facile cogitanti patebit, & ex generalibus principiis de iustitia colligi potest.

## §. IV.

*De quibusdam exceptionibus, quas usurarij opponere possunt, vel solent contra petentes restitutionem usurarum.*

**P**rimò, si usurarius excipiat, contra mutuatariam petentem restitutionem usurarum, quòd liberaliter ab eo sint illæ remissæ, valida est exceptio, si spontè facta fuerit, & nulla fraus intervenierit, cum quilibet rerum suarum moderator, debitori suo remittere debitum possit, in quibus remissioni jus non resistit. Si verò petenti remissionem solvendarum, aut restitutionem solutarum usurarum, opponatur ab usurario exceptio juramenti, nulla est talis exceptio, sed potest cogi (saltem ex officio Iudicis, vel ad denuntiationem mutuatarii) usurarius, ut mutuatario vel juramentum remittat, si nondum sint solutæ usuræ, vel ut restituat solutas, ut constat ex *c. Tuas 13. h. 2.* ne scilicet usurarius ex dolo suo, & iniustitia lucrum referat.

Secundò, si contra repentem usuras excipiat, quòd vel ipse etiam, vel ille cuius est hæres, & cuius nomine repetit, usuras receperit, & non restituerit, valida est exceptio *c. Quia frustra 14. h. 2. c. Michael 17. h. 2.* quia frustra implorat legis auxilium, qui in eandem legem, cuius auxilium implorat, committit, neque audiendus est talis repetens usuras sibi debitas, antequam, quas ille

debet, restituat. Quòd si tamen Cuius non proprio nomine, aut ut hæres usurarii, usuras exigat, sed nomine Ecclesiæ suæ, non potest contra illum excipi, quòd & ipse usuras receperit, nec restituerit, quia Ecclesiæ non debet illius delictum obesse *arg. c. 1. de spoliat.* Prout nec contra Procuratorem nomine sui Principalis repetentem usuras, excipi utiliter potest, quòd etiam ipse ab alio usuras accepit, nec restituerit, cum neque huius delictum principali obesse possit.

Tertio, si conventus super alio delictuendis manifestus usurarius appareat, ne cogatur illas restituere, non cogatur non est. *c. Quam perniciosa 1. c.* quia talis appellatio manifestè facta est, aliter tamen loquendum, si de alio tali appellante acceptis non cogatur, & ex justa causa interponatur appellatio, cum defensio, quæ est pars naturalis, uti est appellatio, criminolo, non intentionem, neganda non sit. Quamvis verò in specie restitui debeat, restitui *Auct. Metho §. 5.* qui videri potest, hæc talia vel apud Civiles, vel apud Theologos legi.

## §. V.

*De usura mentali, & obligatione restituendi ei annexa.*

**V**suram mentalem tum committit, tum perius jam dictum, quando quis exterius dat mutuum & accipit interius supra sortem, ea intentione, ut licet supra sortem ex vi mutui habeat, abique eo tamen, ut intentionem hanc licet pravam exterius manifestet, aut in pe-



Etiam deducat. De hac autem usura mentali quaeritur primò, quænam intentio aut spes lucri accipiendi ex mutuo supra sortem constituat eam, & secundò quaeritur, an sit ex tali usura restituendi obligatio. Primo quaeritur, non esse quidem usurarium sperare, & intendere ex mutuo lucrum, ex benevolentia, gratitudine, ac liberalitate mutuatarii obtinendum, quamvis hoc lucrum taliter obtinendum, sit principalis finis mutui, modò absit pactum externum hujus lucri ex justitia solvendi; cum in tali casu nulla appareat ex parte mutuantis iniustitia, quæ usuram constituit; usura tamen committitur, si mutuum detur, cum ea intentione sine pacto quidem externo, in animo tamen habitâ, ut lucrum obtineatur à mutuatario vi mutui, non ex illius liberalitate, & gratitudine, sed ex justitia, ut pretium & incompenſatio dati mutui, quia in tali casu, ex parte mutuantis apparet iniusta intentio, pretium sive lucrum supra sortem ex obligatione iustitiæ intendens, ubi nihil pretio æstimabile datur, & de hoc casu procedit secunda quaestio, an scilicet ex tali usura mentali oriatur obligatio restituendi acceptas usuras? cui quaeritur, affirmative, juxta *c. consul. 10. h. t. si mutuatarius*, aliunde sciens ex signis, vel ex indole mutuantis, nullum facile mutuum eum dare, nisi lucrum supra sortem illi numeretur, lucrum hoc non intendit illi donare gratis, sed ut debitum dedit; ex vi mutui; neque enim in tali casu suas fecit mutuans usuras tales, sed illæ sunt mutuatarii, indebitum solventis. Quæ restitutionis obligatio in eo casu usuræ mentalis etiam locum habet,

si dubitet mutuans, quo animo dedit mutuatarius id, quod supra sortem dedit, utrum scilicet dederit ut mutui pretium, vel ut gratuitum donum, sicut enim qui dubiâ fide rem possidere incipit, rem illam retinere non potest, sic nec mutuans talis usuras, quas dubia mente recipit, ita tamen ut in tali casu, si bona fide capta fuit talis supra sortem dati possessio, etiam si postea dubium superveniat, quod attendendo etiam varias circumstantias resolveri non potest, retinere, & consumere tales usuras possit.

## SECTIO VI.

De Iudice criminis usurae,  
& probatione eiusdem, ac pænis usurariorum.

## §. I.

Quis sit Iudex competens in crimine usurae, & quomodo probetur quis esse usurarius manifestus?

Usuræ crimen mixti fori est, & potest de ea, sive iuris sive facti quaestio est, cognoscere tam Ecclesiasticus quam secularis Iudex inter laicos sibi subditos, cum hoc crimen non habeat majorem spiritualitatem, quam crimen adulterii, furti, & similia delicta contra justitiam, debet tamen etiam Iudex secularis in hoc crimine iudicando procedere juxta jus Canonicum, quod in multis jus Civile correxit. Manifesti autem usurarii dicuntur illi, qui manifestè tales



tales sunt facti, vel iure, ita ut per facti evidentiam constet, palam usuras exigendo, usurarios illos esse, vel per iudicis sententiam, aut factam in iudicio confessionem, quæ iuris evidentia est, de crimine usuræ confessi vel condemnati sunt, vel per legitimos testes de visu, aut de fama & opinione communi deponentes, per coniecturas alias aut iudicia aperta ac gravia, ex libris rationum v. g. petita, quod soleat merces supra iustum pretium vendere ob dilatam solutionem, vel quod res emat, cum pacto de retrovendendo, quando majus eorum pretium erit, vel quod fructibus sibi re-

servatis iustè vendere talia possit deponi  
bentur usurarii.

## §. II.

*De penis iure statutis in usurariis manifestis.*

**M**ultæ sunt penæ in iuribus statutæ in usurarios manifestos quia tamen nemo vult hoc vitiosè manifestè laborare, nulla est enim de ferendarum necessitas, præsertim cum multæ penæ hodie sint vitiosæ, ut deatur de his Auctor, Method. h. c. sequenti. §. 3. §. 4.

## TITVLVS XX DE CRIMINE FALSI.

## §. I.

*De Crimine Falsi in genere.*

**F**alsum in genere dici potest *immutare veritatem*: ad crimen autem Falsi tria requiruntur. Primum ut pervertatur veritas. Secundò ut dolo malo id fiat, sive animo corrumpendæ veritatis, in alterius fraudem. Tertio ut falsitas talis committatur cum notabili damno alterius; sive deinde dicto seu verbo, sive scripto, sive re seu facto (falsam v. g. monetam cudendo, falsa pondera faciendo &c.) sive usu aut potius abusu committatur, falsis probationibus utendo &c. Pœna autem criminis falsi de jure civili hodie arbitraria est, major,

aut minor pro diversitate delicti & circumstantiarum.

## §. II.

*De Crimine Falsi, quod committitur circa testes.*

**C**rimen falsi à teste committitur, si falsus ille testimonium & dolo malo in iudicio deponat, vel veritatem occultet aut supponat, vel libenter alium ad dicendum falsum testimonium, prout ex c. Falsitas a testimonio, prout ex c. Falsitas a testimonio, & quamvis de iure civili pœna sic talis testis falsum deponat, quæ est alterius falsitatis, de iure canonico Clericus falsum deponens officio deponitur, & alia pœna Canonica.



nitas incurrat, uti videre est apud Aucto-  
Metho, hoc §. ubi alia etiam annotan-  
tur.

## §. III.

*Quibus modis falsentur rescripta  
sen Littera Apostolica?*

Novem referuntur modi, quibus li-  
teræ Apostolicæ falsentur, in c. licet  
§. h. t. hodie tamen non omnes sunt in  
usu, legat cit. cap. qui varios hos mo-  
dos novisse vult & c. quam gravi §. h. t.  
Ex quo colligi potest, observandum in  
rescriptis talibus stylum curiæ, & hinc,  
cùm Pontifex Episcopos vel illius supe-  
riores fratres appellet, alios verò mino-  
res illis, etiam sacerdotes, filios; Reges  
verò appellet charissimos filios, alios  
verò Principes, dilectos filios; Judæos  
verò & alios infideles tali filiorum nomi-  
ne non dignetur &c. si præter hunc sty-  
lum aliqua inscriptio fiat, de falsitate  
suspecta est illa.

## §. IV.

*An littera Papales ob rasuram  
modicam in eis factam, possint ar-  
gui falsitatis?*

Actum hac de re in genere jam ali-  
quid in Tit. 22. de fide instrumento-  
rum lib. 2. Decretal §. 12. circa Aposto-  
licas litteras in specie sciendum, reprobant  
illas, si in loco suspecto tenuem etiam  
parvum litterarum (in quibus etiam unius  
litteræ cum scissus immutatione) rasuram  
habeant; in narratione juris v. g. in  
proptis nominibus iudicum, in annota-  
Compend. Pirbing.

tione datæ, vel indictionis &c. juxta c.  
inter dilectos §. de fide instrum. & c. cum  
venerabilis §. de religiof. domi. Quod si  
tamen rasura talis modica facta sit in lo-  
co non suspecto, non redduntur falsæ  
litteræ Apostolicæ, c. ex conscientia §. h. t.  
junct. Gloss. in casu. Vel si certum sit  
rasuram factam à Cancellario, aut alio  
ex officialibus, quorum est corrigere, si  
supplicatione v. g. non respondeant, aut  
ab eo, cui commissa est rescripti talis ex-  
peditio, aut in litteris Apostolicis, quæ  
clausa redditæ sunt, sit facta rasura, in  
hoc enim casu non nocet rasura, præser-  
tim si in his ipsis litteris fieret mentio fa-  
ctæ rasuræ.

## §. V.

*De pœnis jure statutis in falsantes  
litteras, aut Bullas Apostolicas.*

Non tantum, ut omnes, qui volunt  
uti litteris Apostolicis, diligenter exami-  
nent, falsæ illæ num sint, an veræ, &  
nulla illis ignorantia patrocinari possit,  
ad evitandas falsariorum pœnas, si exa-  
men tale non præmiserint, sed statuitur  
insuper, ut in pœnam hi tales falsarii,  
qui litterarum Papalium falsarii sunt, in-  
currant excommunicationem latæ sen-  
tentiæ, cum omnibus factoribus suis, &  
defensoribus, qui per se, vel per alios,  
vitium falsitatis (etiam semel tantum)  
exercent; & si Clerici sint, sint omni-  
bus suis beneficiis & officiis perpetuo  
privati, ac si per se ipsos vitium falsitatis  
exercuerint, à Magistratu Ecclesiastico  
degradati, curiæ sæculari puniendi tra-  
dantur.  
H h h h



dantur. Si verò non falsarunt literas Apostolicas, falsis tamen scienter utantur, si Clerici sint, non quidem ipso facto suis beneficiis excidant, per sententiam tamen Iudicis his privandi sint, uti & si penes se literas tales falsas detineant, ac eas intra viginti dies non laceant, vel restituant. Videatur etiam Bulla Cœnz Domini contra hos falsarios literarum Apostolicarum.

## §. VI.

*An in dubio præsumendum sit, falsitatem esse commissam in literis impetratis à Sede Apostolica?*

**S**in rēscriptis impetratis de simplici iustitia alicui administranda, reperitur falsitas, non debet præsumi de falsitate commissâ ab ipso impetrante, *c. Accedens s. h. t. junct. Gloss. in casu*, cum tales literæ non tantùm facillè possint obtineri, sed nec magni sint præjudicij. In literis gratiæ verò impetratis, si reperitur falsitas, attendenda est qualitas personæ impetrantis, & gratiæ quantitas, an magna sit, nec ne; & secundùm has circumstantias de falsatione præsumendum.

## §. VII.

*De falsitate, quæ committuntur in aliis instrumentis, seu literis, & de pœnis falsantium sigillum Principis.*

**N**otandum crimen falsi committere, & ut falsarium puniendum, si falsum instrumentum conficiat; vel appo-

nat aliquid in instrumento, quod verum non est; vel omittat solemnitates requisitas; aut super re illicita instrumentum conficiat, &c. si testamentum, iudicium, aliudve instrumentum, seu literas, publicas, aut privatas, ad alios spectantes, immutavit, laceravit, contulit, delevit, vel dolose abiecit, aut suppressit, ne eorum veritas innotescere possit, aut, si se vel alium suæ potestati subiectum, heredem, vel legatarium, in alterius testamento oblitit; vel si alienum chirographum interceptus fuit, rationes, aut instrumenta rasure falsaverit, vel signum, quod ex jure Civilis habetur, *et c. Canon. 33 de offic. Iud. deleg. ubi pariter ordinaria puniendus dicitur, qui dolose literas alterius, cum damno hujus & injuria aperuit, aut testamentum contulit.*

Qui vero sigillum Principis, si Clericus sit, deponendus est, vel si & signum illi aliquod, sine charta imprimendus, quo discernatur, ut falsus (nescio tamen an hæc pœna hodie sit usita) & in exilium ejiciatur. *c. de mendaciam s. h. t.*

## §. VIII.

*De falsatione monete, & de illis modis, quibus crimen falsi in auro committuntur.*

**D**e variis modis, quibus falsitas in moneta, & quæ pœna in crimine falsitatis statutæ sint, melius petrius de jure civili, quàm ex jure Canonico, de hac materia aut parùm agunt, nisi nonica, aut antiquata jam sint, aut ad certum



certum regnum sint restricta, videatur *Extravag. Prodiens Ioan. 22. h. 1. & Respondent uni. inter communes h. 1. De modis autem aliis, quibus in diversis rebus crimen falsi committitur, quamvis*

non semper pœnâ falsariorum tales puniantur, videatur *Molin. Tract. 2. d. 701. vel Farina in praxi criminali q. 150.*

## T I T V L V S XXI.

### DE SORTILEGIIS.

#### §. I.

*An & quibus casibus sint licita sortilegia, vel illicita?*

**S**ortilegia sive sortes dicuntur, cum aliquid eo fine agitur, ut ex eius eventu considerato aliquid fiat, aut occultum innotescat, & hinc triplices sunt sortes tales. Divinatoriæ, quæ adhibentur, ad futurum, vel occultum cognoscendum, quod naturaliter sciri non potest: Consultoriæ, quibus divina voluntas circa rem aliquam inquiritur: & divisoriæ, per quas queritur, quid cuiusvis tribuendum sit. Divinatoriis sortibus non licet uti, cum in illis multæ lateant superstitiones, & ad talia occulta, vel futura cognoscenda sunt medium inproportionatum, prout patet ex pluribus iuribus, *causa 26. q. 5. & ex cap. in tabulis 1. h. 1. consultoriæ* verò sortes per se quidem, quando gravis urget necessitas, licitæ sunt, regulariter tamen, & ordinatiè adhibendæ non sunt (& hinc sub excommunicatio-

ne prohibentur *in casu. sortes cons. 26. q. 5.* cum ad specialem, & extraordinariâ Dei providentiam non sit necessitas recurrendi, ita ut ad tentationem potius illicitam prohibitam recursus talis revocetur. Divisoriæ denique sortes secundum se quidem etiam licitæ sunt, & in multis casibus à jure civili adhiberi jùbentur, semper tamen cavendum, ne illicitæ quædam, & superstitionis circumstantiæ, cum aliqua sacrarum rerum irreverentia admisceantur, quæ sortes etiam tales illicitas faciunt.

#### §. II.

*An sit licitus usus sortium in electionibus ad prælaturas & alia beneficia Ecclesiastica?*

**R**espondetur negativè, prout constat *ex cap. Ecclesia 3. h. 1. ex quo cap. habetur*, quod generaliter prohibitus sit, sortium usus in electionibus ad officia, vel administrationes Ecclesiasticas, ita ut nec compromissarii ad eligendum, possint sorte constitui, ut ne scilicet

Hhh hh 2

lice



licet Ecclesia damnum ferat per indigni electionem.

## §. III.

*De penis sortilegorum, & de iudice competente criminis sortilegi?*

**C**lerici, si bono Zelo & ex simplicitate sortilegio usi fuerunt, suspendi jubentur ad tempus ab altaris ministerio, & divinis in cap. ex tuarum 2. b. t. si verò ex malitia sortilegia talia ex-

erceant, verbaliter deponendi sunt, & ad perpetuam penitentiam condemnandi, graviore etiam pena officio, si gravius peccaverint & c.

Judex autem competens circa hoc crimen cognoscendum, & iudicandum, est iudex Ecclesiasticus, etiam cum sit crimen mixti fori, ab utroque iurisdictionatum, sub certis, & proportionatis penis.

## TITVLVS XXII.

## DE COLLUSIONE DETEGENDA.

**C**ollusio est inter actorem & reum laicis, & fraudulenta conventio, ut delicta vel maneant impunita, vel impudè committantur, ita ut ea collusio tam in causis civilibus, quàm criminalibus, tam Ecclesiasticis quàm temporalibus, & non solum per partes principales, clericos, vel laicos, sed etiam per advocatos & procuratores committi possit, & à iudice ex officio inquiri debeat, si accusator ab accusatione desistit, an per collusionem cum reo desistat cap. script. 1. b. t. neque crimina semel audita manere debent indiscussa juxta glossam hic

verb. Gregorius, est reus à criminibus de quibus fuit accusatus, aut denunciatus per collusionem absolutus sit, de novo accusari, & contra illum inquiri potest, ubi de collusione constitit. cap. instantium 4. b. t.

Pena autem clericorum collusionem in causa beneficii, laicorum et cap. audivimus 3. b. t. ut de rebus licet suis, super quibus collusio est, perpetuo priventur, ne malis talibus his taliter colludentibus sit licet, cum præjudicio collatorum legitimorum vel patronorum.





## TITVLVS XIV.

## DE DELICTIS PUERORUM.

Quod pueri siue impuberes ob delicta puniantur quidem, sed mitiore pœnâ quàm maiores, ex titulo hoc patet, quam mitiorem pœnâ rationem etiam ad minores 25, annis extendunt communiter AA. ob defectum maturi fatis iudicii: & hinc regula juris, 108. ff. dicit, in omnibus ferè pœnalibus iudiciis & aetati, & imprudentia succurritur:

neque pater ratione delicti à filio impubere commissi conveniri, aut puniri, mulctâ etiam pecuniariâ potest cap. referente 2. h. 2. (nisi fortassis ex delicto filij lo. upletior factus fuisset pater, quo in casu conveniri posset, in quantum locupletior factus est.) cum bona patris non sint pro delicto filij obliganda.

## TITVLVS XXIII.

## DE CLERICO VENATORE.

Clericis prohibitum esse sub certis pœnis, canes, accipitres, aut talia ad venandum conducentia habere ex cap. 1. h. 2. patet, & in cap. 2. venationes, & silvaticas vagationes cum canibus, falconibus, &c. (si scilicet cum tumultu, seu magno strepitu armorum, clamore canum, & frequenter hoc fiat) prohibitum esse Clericis statuitur: quâ prohibitionem etiam Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reform. renovavit, eò quòd Clericorum statum, & professionem, hæc

talìa, multùm à rebus Ecclesiasticis avocantia, non deceant. Moderatæ tamen venationes, si sine tali strepitu instituantur, solius etiam recreationis causâ, & non nimium sint frequentes, non prohibentur Clericis. De pœnis tamen prohibitarum talium venationum videatur Bernardinus Diaz in sua practica criminali, cum non tantùm hæc pœnæ, sed lex etiam venationem prohibens, hodiernâ consuetudine videatur abrogata.



Hbb bb 3

TITV.



T I T V L V S XXV.  
DE CLERICO PERCUSSORE.

**C**lericos, non tantum in minoribus constitutos, sed qui in sacris etiam, sive majoribus constituti sunt, ab Episcopo, cui subditi sunt, si deliquerunt, verberibus etiam corrigi, puniri que posse, ex can. *Cum Beatus. 8. dist. 45. & can. ult. dist. 35. junctâ Glossâ. verbo Corporali* patet; non quidem quasi Episcopo liceret eum propriis manibus verberare, cum talis correctio non deceat dignitatem Episcopalem, sed per alium Clericum; ne si per Laicum talem verberationem fieri mandet, tam ipse mandans Episcopus, quam Laicus executor excommunicationem incurrat.

Prælati verò inferiores Episcopo etiam per se, respectu Clericorum sibi subditorum delinquentium exequi pœnam hanc verberationis possunt,

cum debito tamen moderamine, ut notabiliter excedant, pœnam excommunicationis incurrant; alij autem Clerici à percussibus illicitis etiam Laicorum, quòd abstinere debeant ex cap. *Si quis 1. h. 1.* habetur, ubi tales percussores, corripiendi sunt pro crimine, & si se non emendaverint, deponendi, cum Clericos magis deceat imitari mansuetudinem Christi, quam ut adeo inhumani & feri sint; & hinc Pontifex in cap. *Presentium 3. h. 1.* etiam eum Clericum Sacerdotem voluit per biennium à celebratione Missarum abstinere, qui in conflictu ex parte eorum, qui vim illatam repellebant, stetit, quavis terminem percussit ille, si tamen in eo conflictu occisi fuerunt aliqui.

T I T V L V S XXVI.  
DE MALEDICIS.

§. I.

*De maledicis, & maledictis in Papam & Imperatorem, corumque pœnis.*

**M**aledicere in genere aliud non est, prout refertur ad homines, quam dicere malum aliquod de præfenti, vel de

præterito; & fieri hoc potest triplici modo: vel enuntiative affirmando malum de altero, vel imperio malum alicui infligendo, prout Iudex alicui malum dicit, dum pœnam innocenti infligi jubet, vel per modum optantis aut imprecantis alicui malum.

Præter



Pœna autem maledicentis Papæ, ex cap. 1. h. t. desumitur, quod sit arbitraria, juxta qualitatem personæ, verborum, loci, &c. ut ne alij in contemptum Ecclesiæ Romanæ in similia verba prorumpant: quâ pœnâ arbitrariâ puniendi etiam sunt illi juxta Canonistas, qui superiori quidem suo, inferiori tamen Summo Pontifice, maledicunt, si tamen in Ecclesiam redundet, maledica talis lingua, cum in causa suæ Ecclesiæ, competens iudex sit Prælati talis.

Si quis autem in Imperatorem, aut alium Principem supremum maledicam linguam exeruerit, hic pro arbitrio Principis talis puniendus est, prout volunt jura Civilia, cum in lege unica c. Si quis Imperatori maledixit. remittendum eum velint ad Principem talem supremum, si per injuriam, & malo animo eum maledixerit.

§. II.

De maledictione in Deum, & blasphemia in Sanctos, eorumque pœnis.

Quid sit blasphemia in Deum, ac Sanctos accuratius examinet Theologi morales, quos consule. Pœnæ autem in tales blasphemantes de jure Canon. statutz, quamvis multæ sint, & graves, uti videre est Levit. 24. v. 16. can. Si quis 10. can. 22. q. 1. & cap. Statuimus 2. h. t. vix tamen eorum videtur hodie esse aliquis usus, quamvis sub Leone X. in Conc. Later. 1514. renovatz illæ sint: quæ verò de jure Civili in tales blasphemantes constitutz pœnæ sunt, arbitratz hodie videntur.

TITVLVS. XXVII.

DE CLERICO EXCOMMUNICATO, DEPOSITO, VEL INTERDICTO MINISTRANTE.

§. I.

Qua sit pœna Clerici depositi ministrantis, vel exercentis actum ordinis, aut officij sibi prohibitus, & qua sit pœna

Clerici excommunicati, suspensi, vel interdicti celebrantis divina officia?

Quæ hoc Tit. dicuntur, rari u: us, & praxis sunt: ut notitia tamen aliqua circa hanc materiam habeatur, sciendum primò, quòd in cap. Si quis Episco-

pus 1. hoc. tit. quod est ex Canonibus Apostolorum desumptum, & in cap. 2. eodem statuatur, ut si quis Clericus justè depositus (verbaliter) actum ordinis, aut officij, à quo depositus est, exerceat, præcedente monitione, excommunicati debeat. Secundò sciendum, quòd Clerici excommunicati, suspensi, vel interdicti, si divina tamen celebrent, perpetuò sint deponendi ab officio, & beneficio, ut constat ex cap. Clerici 3. h. t. modò de cessatione ab hac temeritate moniti



moniti fuerint, & non destiterint in continenti, quidquid Glossa in contrarium putet; qui tamen in loco interdicto divina officia celebrant, si Clerici tantum sint, privandi sunt suis beneficiis; si religiosi sint, in arctius monasterium detrahendi, *cap. Postulasti h. t.* ut ne scilicet Ecclesiastica disciplina securitas perturbetur.

## §. II.

*An qui dubitat se excommunicatum esse, qui per solam famam audivit sententiam excommunicationis contra se latam esse, si postea celebret divina, incidat in pœnas Canonicas, contra excommunicatos celebrantes officia divina decretas?*

**R**esponderetur affirmativè, attendendo juris rigorem, quamvis ex misericordia, cum illo dispensari possit à Papa, uti habetur ex *cap. Illud Dominus s. h. t.* ex quo capitulo etiam habetur, pœnam de rigore juris talem incurrere, si coram se divina celebrari faciat, tum quòd tutior via sit eligenda in talibus casibus, tum quòd etiam in posteriore casu videatur contemnere excommunicationem.

## §. III.

*An excommunicatis possint conferri beneficia Ecclesiastica, & qua pœna imponi debeat illis, qui beneficia his talibus conferunt?*

**N**on possit his talibus conferri beneficia Ecclesiastica, ex dictis jam

patet, & ex *cap. Postulasti 7. h. t.* cum enim beneficia Ecclesiastica præcipue dentur propter officium, officium in tali excommunicatus præstare non potest (cum sit ab officij executione suspensus) sine irregularitatis periculo, consequenter nulla est facta illi beneficiatio, sive publicè, sive occultè sit excommunicatus, sive à jure, sive ab homine, sive per sententiam generalem, sive specialem, sive sit denunciatus, sive non sit, sive noverit ille, qui contra beneficium, hunc talem, cui contra excommunicatum esse, sive non noverit, &c. quia subiectum secundum se est incapax ad beneficium accipiendum: & quamvis ignorantia possit excusare à pœnis, non facit tamen rectam, qui invalidus est, validum (cum in tali causa locum non habeat lex Barb. ff. de officio Prat.) nec retineri potest ab eo beneficium, cui in excommunicatione collatum hoc fuit, si postmodum ab excommunicatione absolutus sit (quod enim ab initio non subsistit, rectè tempore non convalescit, *juxta regul. 11. m. 6.*) nec pensionem spirituales in beneficio obeinere, cum etiam hæc deinceps spirituale officium, cujus est incapax, de pœna verò, quæ conferuntur beneficiis excommunicatis à jure respondent, ita statuit *citat. cap. Postulasti*, quòd si tales sint suspensi à collatione beneficiorum, donec super hoc venum conloquantur; si tamen scienter his talibus beneficia contulerint, pœna puniuntur, cum ignorantia, hæc nullitatem non tollat, ut dictum pœnam tamen non incurrit.



§. IV.

*Proponuntur, & resolvuntur alie  
quadam quaestiones, circa collatio-  
nem beneficiorum excommu-  
nicatis factam?*

**C**um eo, qui in excommunicatione beneficium accepit, dispensari potest, & quidem ab Episcopo, ut recinere illud possit, prout colligitur etiam ex *cit. cap. postulatus*, nisi hic ipse Episcopus tale beneficium contulisset, quia cum ipse peccaverit in conferendo, non est dignus, cui gratia dispensandi concedatur: & quamvis hæc dispensatio non necessarium fieri debeat, sed sit mera gratia, si tamen bonum publicum, aut vitandum grave scandalum, vel aliud incommodum &c. eam exigat, negari non debet. Quod si tamen excommunicatus quidem ille fuerit, cui beneficij collatio facta est, absolutus tamen fuerit ante collationem factam, vel factam sibi ante excommunicationem collationem, excommunicatus postmodum, acceptaverit tantum, collatio in utroque casu valida est, cum in illo casu præcedat quidem collationem excommunicatio, præcedat tamen etiam absolutio ab excommunicatione, & consequenter habilis ad omne officium spirituale hic factus est; in altero vero casu acceptatio beneficij fiat quidem ab eo, qui in excommunicatione positus est, collatio tamen habili fuit facta. Neque tamen sufficit, ad hoc, quod in primo casu dictum est, fuisse talem vi privilegij tantum, aut Bullæ Cruciatæ pro foro conscientie absolutum, cum pro foro externo sive contentioso talis absolutio nihil illi proffit, ergo pro hoc foro habebitur adhuc ad beneficium obtinendum inhabilis, prout dicitur etiam

*Compend. Pirking.*

declarasse sacra Congreg. Conc. nisi in ipso privilegio v. g. dicatur, quod absolutio, vi illius data, etiam in foro externo proffit.

§. V.

*An & quando excommunicatus, suspensus, vel interdictus clericus exercens actum ordinis sibi prohibitus, fiat irregularis, & qua conditiones requirantur ad hanc irregularitatem incurrendam?*

**S**i excommunicatus majore excommunicatione scienter exerceat actum proprium, saltem majoris ordinis solemniter, & ex officio, ipso facto fit irregularis, uti colligitur ex *cap. ult. h. t.* quæ irregularitas etiam à suspensio, & personaliter interdictio, incurritur, si ille solemniter actum ordinis sacri, à quo suspensus est, exerceat, vel si hic solemniter exerceat actum ordinis sacri, à quo interdictus est. Ad hanc autem irregularitatem incurrendam duæ conditiones requiruntur. Prima est, ut exerceat actum proprium ordinis sacri, à cujus exercitio prohibitus est per censuram, quam patitur. Secunda est, ut solemniter talem actum exerceat, id est, cum ea solemnitate, qua secundum jus, aut consuetudinem Ecclesie actus talis ab habentibus ordinem talem exerceri solet: & hinc etiam si Diaconus excommunicatus, suspensus vel interdictus, cante Evangelium, sine stolâ tamen, aut Subdiaconus taliter censuratus canat Epistolam sine dalmatica tamen, vel sine manipulo, non incurrit hanc irregularitatem, cum nec actum proprium ordinis sibi prohibiti, qui quoad substantiam ab alio exerceri non possit, nec solemniter

Iii ij

tes



ter exerceat, cum illo scilicet apparatu, qui proprius est Diaconis vel Subdiaconis &c. & si sacerdos censurâ tali ligatus baptismum privatum alicui conferat, non fit irregularis, cum non exerceat actum proprium ordinis, qui à laicis conferri non possit, & universim non fit irregularis, si præcisè actum jurisdictionis exerceat, fit tamen irregularis, si sacramentaliter absolvat, si sine solemnibus apparatu Eucharistiam consecret &c. quia hi sunt actus ita proprii sacerdotalis ordinis, ut nunquam à non sacerdote fieri possint.

## §. VI.

*An si Clericus censurâ ligatus exerceat actum minorum ordinum, irregularitatem incurrat: Et quando sive in quibus casibus talis Clericus irregularis non fiat, etiamsi actum proprium ordinis exerceat?*

**A**D primam quæstionem *z.* Affirmative, ut colligitur ex rubrica h. t. universaliter loquente, *de Clerico excommunicato etiam ministrante &c.* & ex cap. 2. h. t. dicente *si quis Presbyter vel alius Clericus*; si tamen solemniter, & ex proprio officio tanquam ministri deputati à legitima potestate ad hæc talia Ecclesiastica ministeria fuerint, qui cum sint tati, passim laicis hæc talia facientibus, rarus etiam hujus irregularitatis casus est.

Ad secundam quæstionem: responderi potest: primò, ignorantiam probabilem censuræ, posse talem ab irregularitate excusare, cum hæc irregularitas in penam

imponatur, & jura dicant, eam incurrere si damnabiliter se ingesserit divina contra sententiam. Et *judic. in 6.* probari etiam potest ex c. Apostolica g. h. t. Secundo, ab irregularitate aliquos ab incurrenda irregularitate, si censurati actus exerceant proprios ordinum suorum, ad eorum grave scandalum, aut gravem infamam, quæ tali timenda esset, si censuram manifestaret, aut actum talem committeret. Tertio excusabitur per appellacionem interpositam à sententia lata contra eum, si legitima illa sit, vel si sententia censuræ contra eum lata nulla sit.

## §. VII.

*An etiam excommunicatus regulari communicacione minore fiat irregularis celebrando Missam, vel alios actus exerceendo, Et an eligere possit, vel eligi ad beneficia Ecclesiastica?*

**E**X cap. finali h. t. habetur quod irregularis non fit, qui non excommunicacione ligatus celebrando Missam, aut alios proprios actus ordinum exercet, tum quia hæc irregularitas nullibi in jure expressa est, tum quia taliter excommunicatus non debet taliter exercere actus ordinis, sed licet suscipere Sacramenta v. g. Secundo, eodem cap. habetur, quod ligatus non debet eligere ad beneficia, sed licet beatus eligere ad beneficia, licet tamen non possit ad beneficia, licet quidem concessum est illi, qui eligere est actus jurisdictionis, & non participatio tantum passiva Sacramentorum.



quâ solâ privat excommunicatio minor: eligi verò ad beneficia Ecclesiastica non potest, cum sit à participatione Sacramentorum impeditus, quarum tamen perceptio ratione beneficii sæpius ipsi necessaria est: probabilius tamen est, quòd talis electio non sit ipso jure nulla, sed irritanda per judicem, Ecclesiasticum, etiamsi scienter facta sit, uti habetur *ex cap. cit. finali.* Quòd si tamen ignorantia eligentium, & electi intervenisset, probabilius est, quòd irritanda ea non esset, cum *cap. sepius relatum* irritandam tantum velit scienter factam; & taliter impeditum non reddat absolutè inhabilem; prout probabilius conceditur, quòd ad beneficia simplicia Ecclesiastica, eligi possit, cum ratio in Capitulo allata pro eo, quòd ad beneficia Ecclesiastica eligi non possit, non urgeat pro beneficiis simplicibus Ecclesiasticis.

## §. VIII.

*An & quomodo peccet ligatus excommunicacione minore, conferendo, vel ministrando Sacramenta?*

**P**eccare quidem (saltem venialiter) taleo ministrando Sacramenta, valida tamen hæc esse, in *cap. hoc ult.* dicitur §. *peccat autem*; quamvis enim ministratio activa Sacramentorum prohibita graviter tali minore excommunicacione ligato non sit, sed sola passiva Sacramentorum perceptio, negari tamen non potest, quòd excommunicacio talis indecentiam aliquam afferat in ordine etiam ad ministranda activè Sacramenta, hinc venialis saltem culpa committitur, nisi ministrando activè, passivè etiam ipse excommunicatus Sacramenta percipiat, prout fit ab eo, qui Missam legit.

## T I T V L V S XXVIII.

## DE CLERICO NON ORDINATO MINISTRANTE.

**C**lericus, qui ministrat in ordine, quem non habet, excommunicandus est, & fit irregularis, ut ne possit ad altiores ordines sine dispensatione promoveri, ac ad certum tempus biennij, vel triennij, pro arbitrio Episcopi, ab ordinis etiam, quem proximè suscepit, executione, suspenditur, *cap. si quis* & *cap. ex literis 2. h. 2.* si verò laicus actus talis ordinarum (majorum scilicet, demi-

noribus enim excusat consuetudo) quos non habet, exerceat, ex probabili sententia, nullam incurrit irregularitatem, cum nulla in jure pro laico taliter ministrante statuta sit. Plura autem requiruntur, ut clericus etiam in ordine non suscepto ministrans, irregularitatem incurrat, Primum scilicet, ut actum proprium ordinis alicujus exerceat, qui ab alio, qui ordinem talem non habet, exerceri (licet)



tè) non potest. Secundò ut scienter in tali ordine ministret. Tertio ut ministret in ordine, quam nec quoad substantiam validè suscepit. Quarto ut terriò in ordine, quem non habet, ministret, ita ut actio illa non sit ludicra tantum. Quintò ut ministret solemniter. Sextò ut non tantum exerceat actum jurisdictionis, quam non habet, ratione cuius nulla irregularitas incurritur, sed ut

exerceat actum ordinis. Videatur etiam bulla Clement. VIII. Et si dicitur Quarto decemb. 1601. data ubi dicitur qui non sacerdos Missas celebrat, nec confessiones audit, statuitur, ut in inquisitoribus, vel locorum ordinibus tradatur, degradandus, si quos casus habet, & curia seculari puniendus tradatur.

### TITVLVS XXIX.

#### DE CLERICO PER SALTUM PROMOTO.

**P**er saltum promotus dicitur, qui superiore ordinem accipit, non præmissis inferioribus; & quamvis superiorem hunc ordinem validè acceperit, qui taliter per saltum promotus est, illicitè tamen fecit, ut colligitur ex can. sollicitudo 2. dist. 52. iuncta gloss. communiter recepta V. Subdiaconatus: neque tamen, si non ministravit in ordine per saltum suscepto, irregularis est, (cùm nulla legatur in iure in tales statuta irregularitas)

sed suspensus tantum ab ordine per saltum suscepti executione, donec superior prætermisus suppleatur, ut habetur ex cap. i. e. ubi dicitur Episcopo, ut cum tali, si ordinem præmissum suscepit, dispensare possit, quod possit in suscepto per saltum ordinem ministrare, quod ipsum confirmari non potest ex Frid. Sess. 23 cap. 14. de reformat.

### TITVLVS XXX.

#### DE EO QUI FURTIVE ORDINEM SUSCEPIT?

**F**urtivè ordines suscipere dicuntur, qui sine licentia & consensu proprii Episcopi, sine prævia examinatione

per dolum se ingerunt ordinando, ut ignorante Episcopo ordinatore ordinem recipiant, vel simul eodem die docentur



(saltem sacros) ordines recipiunt sine dispensatione.

Pœna furtivè recipientium ordines, est suspensio ab ordine suscepto furtivè, uti colligitur *ex cap. veniens 1. h. t.* quâ durante ad altiores ordines ascendere non possunt. Quod si sub pœna excommunicationis prohibitus fuisset aliquis ordines suscipere, hoc in casu suspensus manebit ab executione omnium ordinum susceptorum *cap. cum illorum 32. de sent. excomm.* & cum eo non poterit iure suo dispensare Episcopus, sicuti potest in priore casu, neque ad altiores ordines ascendere poterit, nisi intraverit religionem. Pœna verò eorum, qui simul eodem die plures ordi-

nes sacros receperunt (minores enim ordines eodem die simul omnes suscipere ius commune antiquum concedit, & in quibusdam Episcopatibus licitum etiam facit consuetudo, ut eodem die minores, & Subdiaconatus conferantur) est suspensio, ut in ordinibus sic receptis ministrare non possint, nisi cum eis Episcopus dispensaverit, vel si religionem ingressi laudabiliter in ea vixerint, & à suo prælato fuerint dispensati, vel si sub excommunicatione prohibiti sint, furtivè taliter ordines suscipere, pœna eorum est suspensio ab omnium ordinum priùs susceptorum executione, donec cum illis dispensatum fuerit.

## T I T V L V S XXXI.

### DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM ET SUBDITORUM.

#### §. I.

*Qualiter possint ac soleant Prælati Ecclesiastici excedere seu delinquere in clericis subditos?*

PRIMò delinquunt Episcopi, vel Prælati in subditos clericos, si talliis vel exactionibus indebitis vexent eos, & non solventibus divina interdiciant, censuras injustè in eos ferant, & aliàs vilitè & inhonestè tractent, ut laicis fiant despicabiles *cap. pervenit. 1. h. t.* secundò delinquant Episcopi, si sine legitima causa Ecclesiam alteri inferiori Prælato subjèctam ab ejus subjectione, & obse-

quo liberent *cap. ad hac 2. h. t.* Tertio delinquant, si Ecclesias vel beneficia ad eorum ordinationem vel collationem spectantia sibi retineant, vel conferant *cap. ad aures 3. vel si conferant indignis cap. inter dilectos 11. h. t.* vel si impediant privilegia subditorum *cap. sanè 5. h. t.* ita ut excommunicatio in tali casu facta, contra eum, qui vi privilegii sui non parebat præcipienti, non teneat *cap. cum ad quorundam 7. h. t.* Quarto graviter excedit, & delinquit Episcopus, si directè vel indirectè causam præstet homicidio, ita ut privari debeat officio pontificali.



ficali, & sacerdotali, & ab Episcopatu: administratione amoveri *cap. ex literis 10. h. t.* Quintò excedunt graviter, si sacerdotales sibi subiectos cogant ad revelandam penitentiam, vel peccatum in confessione auditum. *cap. dilectus 13. h. t.*

## §. II.

*De quibusdam specialibus excessibus seu delictis Prælatorum Episcopo inferiorum.*

**I**n genere dici potest, prohibitum esse inferioribus Prælati, ne violent & turbent jurisdictionem superiorum; & hinc primò sine consensu Episcoporum non possunt inferiores Prælati unire Ecclesias sibi subiectas *c. sicut 8. h. t.* Secundò non possunt cognoscere de causis matrimonialibus; neque possunt penitentias publicas, & solemnes imponere, nec possunt indulgentias concedere &c. *juxta cap. accedentibus 12. h. t.* nisi specialiter privilegium, aut concessio, vel præscripta legitimè consuetudo, majorem illis etiam circa hæc facultatem concedant, aut omnimodam & plenissimam jurisdictionem in Clerum suum, & populum habeant Abbates à jurisdictione Episcopi plenissimè exempti, & nullius diocesis.

## §. III.

*De gravaminibus, quæ Prælati alique Ecclesiastici interdum inferre solent religiosis?*

**P**lura de hac materia legi possunt in *cap. nimis iniqua 16. h. t.* ubi quindecim ejusmodi gravamina enumeran-

tur; & in *cap. nimis prava 17. h. t.* quod duodecim gravamina enumerantur, quæ Minoribus & Prædicatoribus inferuntur; & in *Clementin. frequens 17. h. t.* ubi 30. talia gravamina asseruntur.

## §. IV.

*De excessibus seu delictis Prælatorum in Prælatos, seu inferiores suos?*

**D**elinquunt inprimis in Prælatos suos subditi, si violent interdictionem illis lata, prout constat *ex cap. unum 11. h. t.* Secundò delinquunt, qui cum Clerici subditi sint, Prælatum tamen, seu Episcopum suum, negant esse dominum suum, sive verbo, sive facto id agunt, vel ad sæcularem judicem in causa legitimi trahunt, aut consilium præbere adversariis ejusdem contra ipsum. *cap. gravamen 15. h. t.* Tertio delinquunt Clerici subditi privati, & singulares sine consensu superioris communitatis gillum Collegij habent, eoque utuntur. *cap. dilectus 14. h. t.* Quarto delinquunt etiam Vicarii Ecclesiarum, si per vim Ecclesiasticam sibi usurpent curam. *cap. 6. h. t.* Quintò prohibetur in titulo Clericis, ne de gravibus criminibus publicè glorientur. *cap. quam 13. h. t.* Sextò denique prohibetur sub gravibus penis in Clericos degradationis, & excommunicationis in Laicos, cum nefandum, propter quod ira Dei vertitur in filios diffidentie (sive de quorum salute diffidendum est) & quinque crimines igne consumptæ.



§. V.

De prohibitione facta religiosis mendicantibus, ut non possint nova loca acquirere ad habiandum, nec antiqua alienare, vel mutare?

DE hoc constat ex cap. cum ex eo uni. h. t. in 6. ubi ea, quæ in §. 1. tituli enumerata sunt, illis prohibentur: ad plura scilicet, quæ ex contrariis factis sæpius eveniebant, scandala evitanda: illis tamen, qui eremiticam sive solita-

riam vitam duxerint, cum superiorum suorum licentia conceditur, ut nova habitacula & cellas sibi acquirere, & mutare talia loca possint, sine alia licentia, cum tantum scandali periculum in his casibus non sit: neque tamen hæc prohibentur illis, qui specialia privilegia à Summo Pontifice habent, ad hæc talia agenda (vel saltem sufficit illis Episcoporum licentia) prout etiam hæc prohibitionem non impediuntur à suis Monasteriis in eodem loco reedificandis, reficiendis &c.

## TITVLVS XXXII.

## DE NOVI OPERIS NUNTIATIONE.

§. I.

De novi operis nuntiatione, ejusque materia, forma, & aliis casibus ac circumstantiis.

NUNTIARE novum opus, aliud non est, quam illi, qui de novo in alterius præjudicium ædificat, prohibere, ne opus novum fiat, vel ne in eo ccepto pergatur, donec de jure ædificationis constet. Locum autem habet hæc novi operis nuntiatione in rebus solo adherentibus, & immobilibus, quæ terræ scilicet conjuncta, vel conjungenda sunt, & ideo fiunt, ut in eodem solo permaneant, ac in illis casibus, in quibus de novo ædificatur aliquid (quamvis sit Ecclesia, cap. intellectus I. h. t.) vel pristina facies operis

immutatur; neque enim ad opera præterita & jam facta, hæc novi operis nuntiatione extenditur, cum in isto casu alij interdicto locum esse sciant Civilistæ.

Potest autem novum opus nuntiare non tantum ille, qui dominus est rei, cui damnum imminet, sed ille etiam, qui utile dominium talis rei tantum habet, qui superficiarius, vel hypothecarius est rei, cui damnum imminet, vel qui servitutem realem habet in fundo, in quo de novo ædificatur, prout pluribus plura alia videre est apud Civilistas; juxta quos, quolibet die etiam festivo fieri potest hæc novi operis nuntiatione, ibi faciendae, ubi sit opus, saltem illis, qui operi ibi insistant, quamvis absint illi, quorum nomine fit novum opus, vel verbis expressis inhibendo, ne id opus fiat; vel per lapill



lapilli ja&um, in eum locum, ubi opus sit, verbis simul inhibendo opus ulterius, vel Prætozem, aut judicem ad eundo, & petendo ab eo, ut opus inhibeat.

## §. II.

*Quis sit effectus novi operis nuntiationis.*

**P**rimarius effectus est, ut totum id destruatur iterum sumptibus ipsius ædificantis, quod post novi operis nuntiationem ædificatum est, sive iuste, sive iniuste ædificaverit, de quo postmodum examinata causâ patebit: prout etiam statutum est in cap. cum ex in-juncto 2. h. t. ita ut non sufficiat, si permittat tantum, quod ædificatum fuit, post novi operis nuntiationem, demoliri id debeat, & per exceptionem oppositam repelli possit prius, quam omnia in pristinum statum restituantur, etiam si probare veller de jure suo, ne cum perturbatione quietis publicæ rixarum detur occasio.

## §. III.

*Quibus casibus, ac modis cesset nuntiationis novi operis, ita ut vim & effectum non habeat?*

**P**rimò cessat, si nuntians remiserit, vel expressè, vel tacitè (morte scilicet

naturali, & re adhuc adhuc integri) colligitur ex cit. c. 2. h. t. Secundò cessat, si nuntians cautionem receperit à mittente, quòd demoliri velit opus, si constiterit nullum illi jus competere, vel perturbationem non stet (saltem per tres menses) oblatæ talis satisfactionis (quo mittens contentus fuerit, quia competentem satisfactionem obtulit, quæ tamen acceptata non sit) ad quam acceptandam non tenetur nuntians, si intra tres menses probare velit, quòd jure prohibeat, prout habetur in significantiibus 3. h. t. & cap. litem litem. Tertio cessat, si nuntians non iurat coram iudice de calumnia, si tamen h. cui nuntiatio facta est, expressè iuraverit tale. Quarto cessat, si periculum in mora, ita ut d. latio ædificandi, & grave damnum probabiliter allatum videatur, quia ut dicitur, L. de populo 1. 3. p. terea f. h. t. multò melius est contrahere operis nuntiationem, quam inchoatum operis necessarii urgentem exhibitionem: intelligendo hoc, si periculum toti v. g. communitati ex interitu vel ædificio imminet, ut adverte d. l. V. periculum. Quintò cessat, si Prætor revocavit nuntiationem permissam. Et sexto denique cessat, si nullum sit, quod iniuste novum operi prohibeat nuntians.





## TITVLVS XXXIII.

## DE PRIVILEGIIS, ET EXCESSIBUS PRIVILEGIATORUM.

## SECTIO I.

## De privilegiis in communi.

## §. I.

*Quid sit privilegium, & an ad illius substantiam requiratur scriptura, & quomodo à dispensatione differat?*

Privilegium, quamvis latè loquendo accipi possit pro privata lege, speciale aliquod beneficium vel favorem concedente; stricte tamen ac proprie dictum privilegium dici solet, *Rei alicujus seu juris specialis contra vel præter jus commune ex Principis benevolentia concessio*. Et quamvis ad substantiam illius non requiratur scriptura, cum dentur vivæ vocis oracula, ad probationem tamen privilegii, & hujus firmitatem plurimum sæpe conducit scriptura. A dispensatione verò differre videtur privilegium, tanquam species à genere, quòd privilegium sit contra vel præter jus, dispensatio verò sit contra jus, & quòd privilegium sit quid permanens (saltem ordinariè) non autem dispensatio, sæpe pro uno tantum actu licito faciendo concessa.

Compen d. Pirhing.

## §. II.

*Quotuplex sit privilegium, sive quomodo dividatur, & quis possit concedere privilegium, & quibus concedi possit?*

Privilegium aliud est personale, quod immediatè & directè personæ conceditur, cum hac expirans; aliud est reale, quod immediatè, & directè ipsi rei conceditur, durans, quamdiu res durat; aliud denique mixtum est, quod certo v. g. generi personarum, minoribus v. g. filiis familias, fœminis, &c. est concessum, ita tamen, ut etiam ad hæredes transeat, aut alios successores in officio, statu, dignitate, &c. & quamvis tota hæc realium & personalium privilegiorum diversitas ex intentione concedentis dependeat, si tamen dubium est, personale, an reale sit privilegium, & ex conjecturis de intentione concedentis nihil appareat, reatè censendum erit privilegium reale, favorabile si sit, & merum favorem contineat; odiosum verò si sit, cedens in præjudicium aliorum, personale censendum erit, ob odia restringenda, & favores ampliandos. Dividi etiam potest privilegium, in perpetuum, & temporale, illud absolutè, & sine limitatione temporis conceditur, hoc ad certum tempus restringitur, &c. quarum

Kkk kk

divi-



divisionum majorem explicationem & numerum, videre est apud varios Auctores.

Concedere potest privilegium solus & omnis ille, qui legem ferre, & condere potest (cùm etiam privatarum legum, seu privilegiorum concessio pertineat ad potestatem legislativam) ita tamen, ut hanc suam privilegia concedendi potestatem tantùm exercere possit, circa materias dispositioni illi subjeetas. Neque tamen illis tantùm, qui subjeeti sunt, privilegia concedi ab illis possunt, sed etiam non subditis, sive extraneis, qui tamen respectivè, & quoad rem factam, circa quam privilegia conferuntur, inferiores sunt concedenti, cùm concessio privilegiorum non sit propriè actus jurisdictionis, sed merè gratiosæ liberalitatis. Requiritur autem, ut sit licita concessio privilegij, justa causa, ne concedens privilegium, aut peccet contra justitiam legalem, eximens aliquem à communi jure, sine justa causa, aut acceptionis personarum reum se faciat.

### §. III.

#### De interpretatione privilegiorum.

Respondetur primò, quòd privilegia præter jus commune concedentia aliquid, si nulli præjudicent, sed sint merè gratiæ, & beneficia Principis concedentis, sint latè interpretanda juxta reg. 15. in 6. & cap. olim 16. de V. S. & cap. Qua circa 22. h. 1. Si verò privilegia concessa sint contra jus commune, & huic derogent, strictè interpretationis esse debent, & restringenda

potius, quàm extendenda, juxta notatam regulam 15. prout collegimus etiam ex cap. Cum dilectis 1. in 6. Glossa. V. juri communi de verbo sine. Quæ enim à jure commune habitant, quamvis illis, quibus concessa sunt, sint favorabilia, ab absolute odiola censentur (ut quæ proprie singulæ, lædunt jus commune) talis derogatio juri communi in rem eligionis, causæ pie, vel publici cederet, cui latam explicationem favor talis conciliat, aut sic potest tale in Corpore juris clausuræ (quod eodem ut sic habet auctoritatem cum juri communi, cui derogat) aut sit privilegium concessum proprio, vel ex certa scientia, &c. que contra liberalem Principis mentem inducat: quod si verò concessum privilegium pertinet ad tertio, strictè interpretandum est, si juri jam acquisito deroget, cetero concedentis mens non sit, gravata prædicare tertio, nisi huic ipsi expresse necessaria causa jubeat.

Circa hanc tamen privilegiorum interpretationem, sive lata sit, sive stricta, bene attendendum præter, ut non fiat interpretatio contra mentem concedentis, mens enim legum, juxta communissimum est, est auctoritas legis; & hinc, si verba privilegiorum bigua sint & dubia, ad concedentem privilegium pro hujus explicatione reverti debet, cùm illius sit explicare privilegium, cujus fuit concedere. Secundo attendendum, ut ne fiat contra proprietatem verborum (juxta usitatum modum loquendi; proprietatem verborum sunendo, vel juxta proprietatem juri




cui privilegium tale subservit) quæ non minus in hac privilegiatorum explicatione, quam in interpretatione legum observari debet, nisi grave tertii præjudicium aliter explicari jubeat, aut ex aliis circumstantiis de alia mente concedentis colligi aliquid possit, aut si juxta proprietatem suam verba sumerentur, privilegium redderetur inutile, quod fieri non debet. Vide plura in *Lib. I. Decret. De legum interpret.*

## §. IV.

## De extensione privilegiatorum.

**E**tiam hæc materia ex dictis de extensione legum colligi potest, cum utrobique eadem ratio, & auctoritas pugnet. Et primò quidem extensio non est faciendâ ab una persona, cui concessum est privilegium, ad aliam personam non expressam *cap. Sanè 9. h. t.* (neque enim in exemplum pro omnibus trahi debet, quod uni v. g. ex speciali ratione, aut favore concessam est) & hæc nomine filiorum in privilegiis personalibus non intelliguntur nepotes, & quod concessum filio, non debet extendi ad filiam, nisi aliè de mente concedentis constiterit. Neque secundò extendendum est privilegium propter paritatem rationis ad non expressam, quia ratio privilegij non tam in ratione, quam in mente concedentis radicatur, v. si non tam extenderetur privilegium, quam explicaretur, hoc contineri in illo, velut accessorium in principali.



## S E C T I O II.

## De privilegiis in specie, &amp; imprimis de privilegiis exemptionis à jurisdictione ordinarii.

## §. I.

An ex solutione annui census Papæ facta privilegium exemptionis ab ordinario probetur, & quibus modis, vel verbis?

**R**espondetur, ex solutione tali non probari exemptionem à jurisdictione ordinarii, nisi appareat, quòd in signum immediatè subjectionis, ac perceptæ libertatis, non autem in signum tantùm perceptæ protectionis census talis solvatur, prout sumitur ex *cap. Receptimus 2. h. t. & ex cap. Ex parte 18. eadem.* sicuti enim census solutio plura significare potest, (subjectoem scilicet, vel exemptionem, vel protectionem) quæ etiam sine exemptione ab ordinarii potestate haberi potest, cum nullam dicat ex se superioritatem) ita quid significet, aliunde probari debet. Quibus autem modis, formis, clausulis, vel verbis privilegium exemptionis, à jurisdictione ordinarii probetur, declaratur in *cap. Si Papa 10. h. t. in 6.* quod videri potest. Neque tamen per formulas tantùm in hoc cap. altatas exemptio probatur, sed etiam per alias non expressas probari ea potest, modò constet de mente Papæ: Sitamen Ecclesiæ aliqua in Diocesi existens suo

Kkk kk 2

ord.



ordinatio longo tempore censum annuum persolvit, merito presumitur, quod fiat hac solutio in signum subjectionis ob fundatam in jure intentionem Episcopi, in omnes Ecclesias suæ Diocesis.

## §. II.

*An per privilegium concessum alicui monasterio, ut fructus Ecclesia sibi subiecta in suos usus possit convertere, Ecclesia illa censetur eximi à jurisdictione ordinariorum?*

**R**espondetur negativè, prout sumitur ex cap. Pastoralis 19. h. t. & hinc colligitur, sicuti non possunt religiosi tales fructus Ecclesiarum sibi subiectarum in proprios usus propriâ auctoritate convertere, sine licentia Papæ, vel saltem Episcopi, & consentientis Capituli, ex justa causa, ita etiam si hæc licentia circa fructus tales illis concedatur, ut tamen possessionem, & perceptionem, ac administrationem talium fructuum acquirat, indigebit auctoritate ordinarii, immittentis in possessionem.

## §. III.

*Proponuntur alia questiones quædam circa privilegia exemptionis à jurisdictione ordinariorum.*

**P**rimò satis certum est, eum qui exemptus est respectu certi loci, vel certæ rei, non ideo etiam exemptum esse respectu alterius loci, vel rei, uti habetur ex cap. Cum Capella 16. h. t. tale enim privilegium respectu certi loci aut

rei concessum reale potius, quam personale censendum est, restrictio scilicet ad certum locum, &c. Secundò satis certum est, quod per exemptionem à jurisdictione concessam monasterio, non censetur etiam Capellæ exemptæ, sive Ecclesiæ eodem monasterio subiectæ (nisi specialiter etiam hæc exemptæ essent, vel essent per jure unitæ monasterio) cum privilegio exemptionis, odiosum ordinariis, cædendum non sit: & quævis pars commune juris effectum, de concessione illius sit iudicium, & eodem jure certis debeant totum, & pars, non proculdubio hoc in odiosis, & exorbitantibus, quæ non sunt necessariò cunctis de iure parabilia. Et hinc fieri potest, ut Prælati, qui ratione exempti monasterii, quæ tamen ut legitimo iudice hoc cognoscere debent, si ratione Capellæ exemptæ conveniatur. Tertiò satis certum videtur, quod exempta Ecclesia, quæ collegium habet, exempti etiam conventus Prælati sive Abbas, Canonici, Monachi, & alij ministri Ecclesiæ talis, non autem Presbyteri, qui curam Parochianorum habet, quoad ea talium parochiarum curam pertinent; nec Parochiani ipsi censentur exempti cap. presump. q. 1. l. 1. in 6. Exemptis tamen licentia ut Clericis talis Ecclesiæ, non censetur exempta Ecclesia, prout dicitur cap. habetur, illud quidem, quia sub iudicio Ecclesiæ hi tales veniant, hoc autem à odiosam ordinariorum potestati exemptionem restringendam.



## §. IV.

An & quando exempti à jurisdictione Episcopi possint coram eodem conveniri & ab illo puniri, non obstante privilegio exemptionis?

**D**E jure quidem antiquo statutum est in cap. 1. volentes h. t. in 6. ut exempti, quamvis suà à jurisdictione ordinariorum gaudeant libertate, conveniri tamen coram ordinariis possint ratione delicti, vel contractus, aut rei, de qualis illis movetur, si nimirum delictum commissum sit, aut contractus factus in loco non exempto, aut res litigiosa non sit exempta, aut sita sit in loco non exempto, cum in tali casu non absolutè exempti hi tales videantur, ad cavendum nimium præjudicium ordinariorum, sed tantum in ordine ad certum locum, aut rem &c. quia tamen hodie plerique regulares, quos potissimum exemptionis hæc materia concernit, specialibus privilegiis à Pontificibus muniti sunt, ut neque in allatis casibus sint coram ordinariis conveniendi: multi autem alii casus ab Auth. Method. L. 1. Decret. tit. 31. sect. 3 §. 10. enumerantur, in quibus ordinarij, ut Apostolicæ Sedis delegati, post Tridentinum in exemptos habeant etiam jurisdictionem, ut ad eò rectius circa hanc materiam, quæ fusionis disputationis est, ad Auth. Method. vel Erasmus Koch. Roderiques: aut Barbof: quos relato titulo jam citavi, lectorem, si his opus habeat, remittam.

☞ 30 ☞

## §. V.

An allegantes privilegium exemptionis à jurisdictione ordinarii, possint Episcopi sive ordinarii jurisdictionem exercere, donec privilegium exhibitum, & probatum fuerit?

**R**espond. alleganti privilegium exemptionis non credi, nisi illud probet cap. cum persona 7. h. t. 6. & hinc non tantum procedere contra hos possunt ordinarii, non probatis his privilegiis, sed etiam ad exhibenda, & ostendenda hæc sua privilegia cogi possunt, qui exemptionis privilegium prætendunt (cum privilegia sint quid facti, & consequenter non præsumantur, sed probati debeant.) nisi notorium esset tale privilegium exemptionis quoad titulum, & possessionem, aut in jure communi fundatum, prout privilegium exemptionis fundatum habent religiosi mendicantes, qui ab inferioribus iudicibus ad exhibendum privilegium inutiliter citantur, & comparere non tenentur: & quamvis aliàs reus non teneatur edere instrumenta, seu documenta contra seipsum cap. 1. de probat: privilegiatus tamen, sive exemptus, sive agat sive excipiat, debet probare privilegium, quod allegat, quia præsumptio est contra ipsum, cum ordinarij jurisdicção sit de jure communi fundata, nisi authenticè probet aliud.

## §. VI.

An Ecclesia obtinens duplex privilegium exemptionis, Episcopi v. g. & Papa, utroque uti possit?

**Q**uòd possit Ecclesia uti duplici privilegio exemptionis, si duplex habeat

Kkk kk ;



habeat ab Episcopo v. g. & Papa, ita ut si succumbat ex uno, ex altero se defendere possit (cùm nullus prohibeatur pluribus defensionibus uti, juxta *reg. 20. in 6. ex c. cum olim 14. b. t. pater.* neque enim impetrans secundum privilegium censetur renuntiare priori privilegio, super eadem re obrento, sed potest uti tam priore, quàm posteriore, prout utile videbitur.

### SECTIO III.

*De aliis privilegiis specialibus, de quibus agitur in hoc titulo.*

#### §. I.

*De privilegio immunitatis à solvendis decimis etiam novatum?*

**D**e hujus §. I. materia satis actum videtur in *lib. 3. Decret. tit. 30. præsertim sect. 5. & 6.*

#### §. II.

*De privilegio celebrandi vel audiendi divina officia tempore interdicti generalis?*

**Q**uid sit interdictum generale, infra in Tit. de sententia excommunicationis dicitur, ubi etiam, quid fieri possit, vel non possit tempore interdicti generalis, explicabitur. Hæc ea tantùm quæstio moveri potest, quomodo intelligenda sit illa licentia, quæ nonnquam regularibus conceditur tempore interdicti talis, divina celebrare, & u-

tùm etiam ad Episcopos extendi posse privilegium concessum regularibus, ad divina celebranda, interdicti generalis tempore, cui utriusque quæstio respondetur primò, licentiam illam, quæ conceditur regularibus, ut si Eleemosynas conquirendo ad locum aliquem interdictum perveniãt, in eorum adventu loci in anno aperiantur Ecclesiæ, ubi ceteris excommunicatis, & specialiter interdictis, divina illis celebrare liceat, ita intelligendum esse, quòd una tantùm loci illius Ecclesiæ, & semel in anno, ad divina talia celebranda, aperiendi sūt, quamvis enim textus in *cap. n. præsertim 24. §. illud etiam h. t. in plerumque numero loquatur, aperiuntur Ecclesiæ, si plura tamen explicat, quòd hoc interdictum debeat de omnibus Ecclesiis aperienda, ne vili pendatur sententia interdicti, sed de una tantùm Ecclesiæ in tali loco interdicti aperienda, & de aliqua etiam aperienda, in alio loco interdicti, quæ explicatione supposita, non videtur, quomodo verificetur, quòd in plerumque numero dicunt jura, aperiuntur Ecclesiæ.*

Respond. secundò, quæstio privilegia regularibus concessa ad divina celebranda non sint, cùm privilegia ab una persona, cui concessa sūt, extendi non debeat ad aliam personam interdicti materia, ipsa jura hæc explicationem faciant *cap. quædam nonnulli 2. p. 1. b. t.* ob favorem Pontificalis officii, idcirco licebit eodem modo, cum interdictionibus, & limitationibus, divina celebrare, talis interdicti tempore, quòd licet



licet hoc regularibus. Quòd si tamen in loco aliquo interdictum tale in favorem aliquorum positum, non serverur ab illis, in quorum favorem interdictum hoc positum est, neque alij ejusdem loci servare illud tenentur *cap. petisti 20. h. t.* neque enim legem, quam quis servare negligit, alijs imponere debet, aut ab alijs exigere, quod à se ipso multò facilius exigere deberet.

## §. III.

## De privilegio sepultura Ecclesiastica tempore interdicti.

Concessum esse hoc privilegium quibusdam regularibus, ut qui eorum fraternitati sunt adscripti, & mutato habitu seculari, eorum ordinum oblato habeantur, vel qui omnia sua bona dederunt talibus regularibus, solo usufructu, dum vixerint, retento, possint interdicti tempore in Ecclesia interdicta sepeliri, si parochiani illius Ecclesie sint, aut de jure communi in tali Ecclesia sepeliri debeant, neque sepulturam aliam, in loco v. g. non interdicto, sibi elegerint, modò non sint excommunicati, aut nominatim interdicti *ex cap. ut privilegia 24. §. sanè h. t.* patet: cum his talibus, ob favorem religionis, cui se, & sua obtulerunt, speciale quid in tali casu merito concedatur.

## §. IV.

## De privilegio celebrandi in altari viatico, seu portatili.

Usus altaris portatilis hodie fortasse communior est, quàm jus commu-

ne concedatur: cum in ipsis etiam consecratis, aut divino cultui per Episcopum benedictis, aut designatis Ecclesijs altaris portatilis frequens sit usus: quid sit autem altare portatile, & quando consecrationem suam amittat, dictum in *lib. 3. Decret. tit. 40. §. 4.* Ex hoc tamen §. habetur, & *ex cap. quoniam 12. h. t. in 6.* quod de jure communi usus altaris portatilis in ordine ad celebrandum in eo sacrum, etiam extra Ecclesiam, sit concessus Episcopis, & qui his superiores sunt, ut vel ipsi in eo, ubi vis locorum celebrent, vel celebrare coram se faciant, cum enim hi tales frequenter à suis Ecclesijs, ratione negotiorum, totam Diocesim concernentium, abesse debeant, & non habeant facilem occasionem semper alibi in Ecclesijs celebrandi, decens autem sit, ut singulis diebus Massam vel celebrent, vel audiant, consequenter usus portatilis altaris concessus illis fuit, quo pro suo libitu, ubicunque locorum fuerint, etiam extra suam diocesim, uti possunt. Hodie autem pluribus etiam alijs regularibus usus hic altaris portatilis concessus fuit, sine præjudicio tamen jurium parochialium, ut patet *ex cap. in his 30. h. t.* & ex specialibus privilegijs regularium, quæ noverunt illi, quibus hæc privilegia concessa sunt: & cum licentia ordinarij in privatis etiam oratorijs, aut capellis usus altaris portatilis ad celebrandum conceditur, quævis Trident. *Sess. 22. in Decreto de observan: & evitand. in celebrat. Miss.* multùm hanc facultatem restrinxerit, si non omninò sustulerit, ut volunt aliqui.

## §. V.



## §. V.

*De privilegiis studii generalis in Curia Romana.*

**Q**Uæ privilegia sint eorum, qui in Romana Curia juri utrique dant operam, videntur illi, qui Romæ ad hæc studia incumbunt, videatur etiam cap. cum de diversis 2. hoc tit. in 6.

## §. VI.

*Quæ sint prerogativa sive privilegia principalium Sedium 4. Patriarchalium?*

**V**ideatur de hac materia, parùm nobis scitu necessaria, cap. antiqua 23. h. t. ubi ordo etiam harum Patriarchalium Ecclesiarum ponitur, ut post Romanam, quæ mater omnium Ecclesiarum est, primum locum habeat Constantinopolitana. Secundum Alexandrina. Tertium Antiochena. Quartum Jerosolymitana, quæ tamen quatuor Patriarchales Ecclesie hodie vel hæresi, vel schismate infectæ sunt vel saltem sub Turcico jugo gemunt.

## §. VII.

*De privilegiis Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque Prælatorum inferiorum.*

**N**Eque hujus §. materia multum scitu necessaria est Sacrorum Can. Studiose, cui labor hic in servire potest. Viderint illi quorum interest, quæ privilegia talium majorum dignitatum in

Clement. Archiepiscopo 2. h. t. habetur & in cap. 1. eodem, ac in cap. Altitis 3. & cap. Apost. 6. eodem in 6.

## S E C T I O IV.

*De prescriptione, innovatione, usu, & effectu privilegiorum.*

## §. I.

*Quanto tempore prescribatur adversus privilegia?*

**D**E jure antiquo in Cap. 5. de terris. h. t. ad prescribendum contra privilegia Ecclesie alicujus suffi debent 40. anni, per cap. tamen accedendum 11. h. t. correctum hoc fuit, & alia non admittuntur contra Ecclesie privilegia prescriptio, nisi 40. annorum, quo tempore etiam alia jura Ecclesiarum prescribi possunt, nisi privilegia talia sint, quibus renuntiari non potest, ut est privilegium fori, aut sint statuta generalia, quibus Ecclesia regitur, quæ semper immutata & immutata manere debent, ut in cap. 1. caus. 6. q. 1. temporibus.

## §. II.

*De innovatione privilegiorum.*

**I**nnovationem privilegii concessi fieri quidem posse, nullum tamen per se in innovationem novorum jura conferre.



si, ex dictis jam patet & ex cap. 13. ac 29. h. t. & ex cap. dilecto 4. de confirmatione uili, ita tamen, ut de tali innovatione eodem modo videatur loquendum, quomodo de confirmatione in forma communi, aut ex certa scientia locuti sumus, juxta quam duplicem confirmationem duplex etiam innovatio, vel in forma communi, quæ nullum novum jus tribuit, vel ex certa scientia, aut æquivalente clausula, quæ novum jus facit, fieri potest. Et quamvis pari modo opponere se possit pars adversa contra petentem privilegij, cujus authenticum scriptum amiserat privilegiatus, si- cut se opponere potest contra petentem confirmationem, si illius interfit ad cavendas lites neutrum fieri, si tamen contra petentem talem laicum v. g. nemo se ingerat, & hic probet instrumentum, in quo continebatur privilegium, fuisse amissum; & si probet tenorem instrumenti perditæ ac alias illius solemnitates; & demum si probet, caruisse illud omni vicio, innovari potest.

## §. III.

## De usu &amp; effectu privilegiorum.

Nemo quidem cogitur uti suo privilegio, prout sumitur ex cap. si de terra 6. h. t. (cùm liberum sit cuivis, favori pro se introducto cedere) nisi sit privilegium tale alicui communitati concessum, cui privata persona renuntiare non potest, aut aliunde superveniat obligatio, utendi tali privilegio, prout fieri possit, si concessum fuisset alicui privilegium

Compend. Parhins.

ut tempore interdicti Missam audire possit, hic in diebus festis Missam, si hæc etiam interdicti tempore legeretur, audire deberet, & sic uti suo privilegio.

Ut autem privilegium suum sortiatur effectum, & jus aliquod privilegiato conferat, requiritur, ut privilegiatus (vel saltem procurator ejusdem ad hoc sollicitandum, vel acceptandum constitutus) habeat ejus notitiam, & acceptaverit, cap. ex parte 13. h. t. & cap. si tibi 17. h. t. de prebendis in 6. (neque enim invito datur aut prodest privilegium) & uti hoc poterit etiam extra territorium concedentis, si personale illud privilegium ab homine, Episcopo v. g. concessum fuerit, cùm privilegium tale personale cohareat personæ, & ipsa privilegi concessio sit actus jurisdictionis voluntariæ, quæ extra territorium concedentis suum robur etiam obtinet.

## SECTIO V.

## De variis excessibus seu de abusibus privilegiatorum prohibitis jure Canon.

## §. I.

## Qui sint excessus seu delicta privilegiatorum, &amp; quomodo puniendi.

Longum fatis catalogum contexit Pontifex in cap. cùm plantare 3. h. t. de excessibus, quos committunt privilegiati

LII II

legiati



legiati religiosi in abusu suorum privilegiorum, præsertim contra Episcopos, quos in relato cap. prohibet sub pœna interdicti in eorum Ecclesias statuendi; & in jure communi legi possunt.

## §. II.

*Quinam præterea alij sint excessus sive abusus privilegiatorum?*

**P**lures adhuc excessus tales in hoc tit. enumerantur cap. ad hac §. cap. patientibus 10. cap. tuarum 11. cap. Autoritate 4. in 6. cap. Episcoporum 8. in 6. h. t. &c. quæ jura legi possunt.

## §. III.

*De alijs quibusdam specialibus excessibus, & culpis religiosorum prohibitis jure Canonico, & eorum pœnis.*

**V**ideatur de his *Clement. religiosi* 1. h. t. ubi religiosi quorundam Sacramentorum administratio sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, à qua non nisi à Pontifice absolvi possint, prohibetur, sine speciali licentia Parochi, aut speciali privilegio &c. & in §. 1. quibus etiam sub præcepto obedientiæ & cõminatione maledictionis æternæ inhibetur, ne detrahant Ecclesiarum Prælati, ne laicos ab Ecclesiarum suarum accessu arceant, ne indulgentias indiscretas promulgeant &c. videatur relata *Clementina*.



## §. IV.

*De pœna abutentium suis privilegiis, & pœnitione violentum aliena privilegia?*

**R**esp. quòd propter abutentium pœna revocari privilegia, quia necesse privilegatus amittere privilegia, quia permittit sibi abutitur potestate, cap. privilegia 24. h. t. & si aliena privilegia violant, sive directe, sive indirecte hoc fiat, non tantum sua privilegia spoliandi dicuntur cap. delicti 4. h. t. (neque enim sunt illis sua jura servanda qui non metuunt violare aliena, cap. si decet. 22. ca. 25. q. 2.) sed etiam castigandos asserit Pontifex cap. quoniam 26. h. t.

## §. V.

*Proponuntur brevis summa institutionum extravaganantium hujus tituli.*

**V**ideatur extravag. *franco*, ad v. h. t. & inter communes extravag. 2. 3. & 4. h. t.

## SECTIO VI.

*De amissione & revocatione privilegiorum.*

## §. I.

*An & quomodo privilegium amittitur per lapsum temporis, & cõsuetudinem casus?*

**F**uit privilegium lapsu temporis, & quod restrictum fuit, certum est, cap. de causis 4. de Offic. jud. de leg. 1. p. 1.



prout cessat etiam privilegium conditionatum, cessante conditione, sub qua concessum fuit. Causa verò si cesset, cessat quidem etiam privilegium, si causa illa finalis motiva & principalis fuerit, & privilegium tale sit alicui præjudicans, ad cuius conservationem causa etiam requiratur; non cessat tamen, si causa, quæ cessat, tantum sit impulsiva, aut merè favorabile privilegium, cuius usus propter mutationem variarum circumstantiarum non est illicitus, & injustus redditus.

## §. II.

*An privilegium finiatur per mortem illius, cui concessum est, vel per mortem concedentis, item an per renuntiationem privilegiati?*

**S**I personæ tantum concessum sit privilegium, extinguitur per mortem illius, ita ut ad hæredes non transeat, quia personæ coheret, & eam sequitur *cap. privilegium 7. de regul. juris in 6.* si verò ratione dignitatis v. g. alicujus, ratione loci, officij &c. concessum sit privilegium, ita ut non tam personale, quam reale sit, non extinguitur per mortem illius, qui hoc privilegio ratione dignitatis v. g. gaudebat, sed transit ad eum, qui in dignitate, seu officio succedit.

Neque per mortem concedentis amittitur ordinatè privilegium, uti patet *ex lib. 1. Decret. tit. 29. sect. 7. §. 5.* si semel legitimè acquisitum est, cum sit favor Principis, qui permanere debet, & liberalis quasi donatio, quæ semel facta non expirat per mortem donantis, nisi

aliter sentire & loqui jubeant, verba privilegium restringentia, ultra mentem enim concedentis, quæ per verba innotescat, extendendum non est privilegium.

Quia verò quisque suo juri, & favori pro se introducto cedere potest, si nulli cessio talis præjudicet, hinc valida, & licita est renuntiatio privatæ, & particularis personæ, si privilegio sibi peculiariter facto renuntiet, & effectum suum plenum habebit renuntiatio hæc, ut pertinere amplius non possit, si à concedente privilegium fuerit admittà renuntiatio; si verò in favorem alicujus communitatis, dignitatis, vel loci fuerit concessum privilegium, non possunt particulares illius communitatis personæ tali privilegio renuntiare, cum renuntiatio talis esset in præjudicium communitatis, dignitatis, vel loci illius. *Argum. cap. cum tempore §. de arbitris, & cap. si diligenti. 12. de foro compet.*

## §. III.

*An & quando amittatur privilegium per tacitam renuntiationem, sive per non usum, vel per contrarium usum, vel per abusum?*

**Q**UOD Privilegia affirmativa, quibus datur facultas agendi aliquid, cum gravamine & onere aliorum, per non usum privativum (voluntarium & liberum, oblatà occasione utendi privilegio) amittantur, per viam præscriptionis, & tacitæ renuntiationis, passim docent auctores, qualis tamen tacita renuntiatio, non censetur ille non usus, quo quis longissimo



gissimo etiam tempore suo privilegio usus non est, cum nulla fuerit utendi illo, aut commoditas, vel occasio, propter absentiam v.g. infirmitatem &c. si vero sint ad agendum quidem aliquid, gratia, ita tamen, ut in nullius cedant præjudicium, per merum non usum etiam longissimi temporis non amittuntur *Glossa in cap. ut privilegia 24. V. semel in anno h. t.* Privilegia autem negativa, quæ in non faciendo consistunt, in non dando decimas, in non sistendo se ordinarij tribunali &c. amittuntur, si aliis sint onerosa, per actum directè contrarium, solvendo v.g. decimas, sistendo se ordinarij tribunali &c. si ve deinde hoc fiat per viam præscriptionis legitimo tempore continuatæ, sine protestatione contrarium agentis, si ve fiat per viam tacitæ renuntiationis; ad quam tamen, ut extinguatur per eam tale privilegium, plura requiruntur, primò ut actus contrarius fiat ab ipso privilegiato. Secundò ut voluntariè fiat & animo renuntiandi privilegio, & hinc ignorans se agere contra suum privilegium, aut de actu hoc contrario protestans &c. non renuntiat tacitè privilegio suo. Tertiò requiritur, ut actus, qui contra privilegium exercetur, sit directè tali privilegio, quoad substantiam contrarius, neque in futurum utilis, cum renuntiatio hæc sit stricti juris, non tacitè extendenda. Quartò ut illi, qui per actum contrarium privilegium amittunt, huic renuntiare possint expressè, & illud tollere, ac abolere &c. quòd si autem negativum quidem privilegium aliquod sit, nemini onerosum aut præjudicans, non

amittitur per actum contrarium, et liberum sit privilegiato, uti vel non ut suo privilegio.

Per abusum denique privilegij, si licitum aliquid committatur, quòd per privationem privilegij puniri debet, amittitur in pœnam talis delicti, privilegium, ut supradictum: si vero abusus privilegij tantum defectum aliquem non culpabilem in usu privilegij dicatur, amittitur interdum totaliter privilegium, subinde pro una tantum vice &c. jura vario modo in talibus casibus loquuntur.

## §. IV.

*An Privilegium semel concessum possit revocari à concedente vel à aliquo alio &c.*

**P**rivilegium concessum extraneo subdito, & ab hoc acceptatum, revocari non potest, à concedente vel ejus successore, cum talis privilegium in pactum utrinque obligans transierit, nisi postmodum in notabile conceSSIONIS damnum cederet, ita ut si ab initio damnum illud adfuisset, iniquus contractus potuisset tale privilegium, si verò à Papa v.g. concessum sit, subdito, communitati gratis, & ad agendum aliquid præter, vel etiam contra jus communitatis vel successore hujus, valde quidem sine causa etiam (cum tale privilegium semper pendeat à voluntate concedentis, & jurisdictionem in subditum tempore concedens retineat) non tamen licitè ac decenter, quia decet beneficium à Principe concessum mansurum, jura



regulam 6. in sexto nisi causa donationis, remunerationis, aut pacti alicujus &c. aliud circa tale privilegium jubeat.

## §. V.

*Quibus modis privilegium revocetur, & quando revocatio privilegiorum vim suam & effectum habeat?*

Revocantur autem privilegia expressè, vel tacitè; expressè per verba expressa, vel per clausulas speciales, aut generales, nisi sint in Corpore juris clausa, vel specialibus clausulis munita, vel per modum contrarius concessa sint; ad talia enim privilegia revocanda non sufficient clausulæ generales, sed specialis sæpius derogatio facienda, & expressa. Tacitè verò revocantur per actum Principis concedentis, directè contrarium privilegio, cum quo actus talis subsistere non potest (nisi in Principe præsumi posset ignorantia privilegij) vel per legem contrariam universalem, si privilegia concessa sint in Corpore juris contenta: neque tamen per mandatum particulare, aut rescriptum Principis censetur privilegium, cui contrarium hoc rescriptum est, tolli, si nullam clausulam derogatoriam habeat, *cap. cum ordinem 6. de rescriptis*, nec per privilegium posterius, contrarium priori revocatur prius speciale, nisi specialis prioris mentio derogatoria fiat *cap. veniens 19. juncta Gloss. V. nullum de prescript.* (Cum in his casibus non præ-

sumatur Princeps scientiam habuisse prioris privilegij, vel certè dici debeat, derogari quidem per tale rescriptum speciale posterius privilegio generali, quoad hunc actum & hanc vicem, non tamen in genere & in omni casu) neque per sententiam latam à Principe, qui privilegium potuit concedere, censetur revocari privilegium *cap. sub oria 21. de sent. & re judic.* quo in casu reprobare potius privilegium pro hac vice censetur Princeps, quàm revocare.

## §. VI.

*An pereunte re, cui privilegium inhaeret, pereat quoque & extinguatur ipsum privilegium?*

Respondetur, perire quidem privilegium reale, sive rei adhærens, pereunte tali re, sicut personale privilegium extinguitur pereunte personâ, cui concessum est, ita tamen, ut distinguendum sit, an locus, vel res sacra, Ecclesia videlicet, vel monasterium, &c. autoritate Superioris destruaturs absque ulla spe restitutionis vel reparationis, &c. vel utrùm pereat ab hostibus v. g. diruta, combusta, &c. cum spe reedificationis; in illo casu pereunt privilegia tanquam subtracto in perpetuum fundamento; in hoc autem casu remanent omnia privilegia non tantùm, quæ solo affixa sunt, sed etiam ea, quæ in loco tali sacro exerceri possunt, suspensa tamen manent, usque dum locus talis iterum ædificetur.



TITVLVS. XXXIV.  
DE PURGATIONE CANONICA.

## §. I.

*Quid sit purgatio in genere, & quotuplex, & à quo indicenda sit purgatio Canonica, & quibus indici possit ac debeat?*

**P**urgatio, prout hîc de ea sermo est, aliud non est, quàm ostensio innocentiae de objecto crimine: duplex autem illa est, vulgaris alia, quæ in sequente titulo reprobatur; alia verò Canonica, à jure Canonico scilicet inventa, & approbata. Indicitur autem hæc purgatio Canonica à iudice competente, ab Episcopo v. g. qui non tantum Clericum, sed in criminibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, etiam Laicum subditum ad purgationem talem faciendam cogere potest *cap. Nos inter 6. h. t.* ita ut hæc indici etiam possit regularibus utriusque sexûs, si de crimine infamati fuerint, damnari tamen de hoc non possint ob defectum sufficientis probationis *cap. Moniales 3. h. t.* vel si de defectu aliquo, seu impedimento Canonico infamati sint. *cap. Accedens 14. h. t. §. 20.*

## §. II.

*Quando, siue in quibus casibus indicenda sit purgatio Canonica, vel non?*

**I**ndici debet ea, quando quis est publicè v. g. de crimine apud viros honestos,

& graves infamatus (quòd si erim à malevolis tantum orta sit infamia, nec scandalum ullum sit, non indicatur purgatio Canonica) & adfuit, plures quidem, verosimiles præsumptiones, siue semiplena probatio, sufficienter tamen & legitime probari illud non potest. Quòd si enim crimen sit notorium, ita ut celari non possit, vel legitime probatum, non tam Canonica purgatio indicenda est, quæ in tali casu locum non habet, sed sententia punitiva contra talem pronuntianda erit, vel absolvi debebit, si nihil contra eum probatum est. Quòd si tamen in purgatione defecerit, cui purgatio indicienda est, imponi debet, & omni beneficio ac officio privati, prout colligitur ex *cap. Condictis 15. h. t.*

## §. III.

*Quæ sit forma purgationis, siue quomodo ea fieri debeat?*

**F**orma & modus hujus purgationis præscriptus est in *cap. Quæstio 5. h. t.* primò scilicet, ut ipse purgandus (si ingenuus & honesta persona sit, vili enim homini vix deferretur purgatio hæc) iuret super Sancta Dei Evangelia, quòd crimen illud, de quo infamatur, non commiserit (saltem eo tempore, de quo est infamia) nec per se, nec per alium, mandando



dando scilicet, consulendo, aut aliter favore, vel auctoritatem tribuendo, nec suo nomine factum, ratum habendo: & quamvis Episcopus, ordinariè jurare non debeat tactis sacris Evangeliiis, sed sufficiat, si juramenti illi præstandum sit, ut juret præpositis Evangeliiis coram se, in hoc tamen speciali purgationis casu vult Pontifex, ut juret tangendo Evangelia. Secundò, ut habeat certos compurgatores, viros honestos, qui sint bonæ opinionis, & jurent de credulitate, sive jurent credere se, quòd verum juraverit, qui se Canonice purgare debet, prout paulò post pluribus dicetur.

## §. IV.

*Quomodo procedendum sit contra infamatum de crimine, negligentem famam suam, sive se purgare ab infamia?*

**D**E hac materia in *cap. Si quis 2. h. t.* & in *cap. Inter sollicitudines 10. eod.* statuitur, ut si quis de crimine (quod permanens & successivum est) infamatus sit, ipse tamen famæ suæ negligens infamiam hanc insuper habeat, Episcopus contra eum inquisitionem instituat, ut de infamia certitudo habeatur, & si desit accusator, ter legitime juxta sanctiones Evangelicas monitum, si se non emendaverit, ab officio suspendat, quo usque se purgaverit ad arbitrium Iudicis, ne populus in eo scandalum patiat. Si verò crimen, de quo infamatur, momentaneum sit, & ex integro jam præterierit, nihil opus est monitionibus præviis, quæ in ordine ad emendationem in tali casu

frustraneæ essent, sed potest Iudex infamato, si legitime constet de infamia, statim indicere purgationem Canonice, in qua si deficiat, tanquam convictus (præsumptivè saltem) condemnari debet.

## §. V.

*De compurgatorum qualitate, juramento, & numero.*

**O**Mnia hæc ex dictis jam colligi possunt: primò scilicet, quòd compurgatores hi debeant esse viri honesti, probatæ vitæ, & qui notitiam illius habent, cujus sunt compurgatores, *cap. Cum dilectus 11. h. t.* (ut ne occasio detur, aut periculum sit perjurii) qui sint vicini, *cap. Cum dilectus 11. h. t.* tolerati ab Ecclesia, neque in judicio propter crimen condemnati, *cap. Constitutus 9. h. t.* ejusdem ordinariè, cum purgando, ordinis, Episcopi scilicet, si sint Episcopi compurgatores, Præbyteri, si pro Præbitero compurgatores sint, Clerici, si pro alio Clerico, &c. vel si hi desint, & haberi, aut admitti non possint, alij etiam, tam viri, quam feminae admitti possint *argum. cap. Cum in juventute. 12. h. t.* & juxta *Glossam in canon. Clerici 32. V. aliqui. dist. 81.* Jurare autem debent hi compurgatores de credulitate, sive quòd credant secundum suam opinionem, & conscientiam, verum dicere eum, qui suam infamiam purgat *cap. de testibus. 13. h. t.* ad cavendum periculum perjurii, si de veritate jurare tenerentur. Ad numerum denique compurgatorum quod attinet, varius ille pro diversis purgationibus fuit, prout jura antiqua ostendunt, nunc



nunc quinque, nunc septem, nunc plures etiam compurgatores adhibendo, hodie numerus hic est arbitrius, secundum Iudicis, qui purgationem indicit, arbitrium destinandus, spectanda qualitate personæ purgantis se, & spectanda qualitate delicti, gravitate infamiae.

## §. VI.

*De effectu purgationis Canonicae, & poenis deficientis in illa.*

**E**ffectus purgationis hujus est, ut eam legitimè peractam, absolvat, qui se purgavit à suspensione, si quæ præcessit, & ab infamia criminis, ratione cujus se purgavit, *can. Habet 6. caus. 2. q. 5. & prout sumitur ex cap. Ex tuarum 8. h. t.* ita ut regulariter non possit purgatus iterum accusari de delicto hoc, nisi nova

infamia ejusdem criminis exorta sit, si absens fuisset, non tamen per contumaciam, accusator, quando purgatio habuit, qui plenè probare crimen potest, si vult crimen illius probare, qui se purgavit videbatur, cum de eodem crimine queri quidem sæpius non possit, illa tamen etiam non debeant remota impunita, præsertim, si per multam reputationis acquisita fuit.

Qui verò in purgatione Canonica defecit, habetur pro convicto, ut dicitur, & eadem poenâ Canonica puniatur, si de crimine per legitimas probationes convictus fuisset, *cap. cum 7. q. 1. deficientem h. t. junctâ Glossa 7. Provenit cum præsumptio probabilis et violenta orta transeat in violentam, si in illa purgando deficiat.*

## TITVLVS XXXV.

## DE PURGATIONE VULGARI.

**P**urgatio vulgaris dicitur illa, quæ à vulgo inventa, vel usu introducta fuit contra formam Canonicam, & à Sacris Canonibus reprobatur, ut quæ magis ex diaboli, quàm ex Dei instinctu originem suam accipit: sic à jure Canon. reprobatur purgatio facta per duellum *cap. Cuius 1. h. t.* purgatio facta per iudicium ferri candentis, vel aquæ ferven-

tis, seu calidæ *cap. Dissili 3. h. t. purgatio facta per aquam frigidam, cap. Ex tuarum 8. de purg. Canon. & similes superstitionis probationes, quæ in veritate ex purgatione vulgaris non veritas possit, & debeat cap. Significatio 1. h. t. etiam si ab ea non fuerit appellatum, cum lata sit ex fallacibus & reprobatis probationibus.*





## TITVLVS XXXVI.

## DE INIVRIIS ET DAMNO DATO.

## §. I.

## De Injuriis.

**I**njuria prout hic de ea agitur, aliud non est, quam *Contumelia dicta, vel facta, vel scripta*; triplici enim hoc modo possum alteri contumeliam facere, verbis scilicet, cum alicui convicior; facto, vel gestu, cum manus alicui infertur, aut medius v.g. digitus ostenditur; litteris, sive per libellam famosam, aut carmen, alterius ad infamiam pertinens; & quamvis ad injuriam requiratur animus injuriandi, presumitur tamen hic semper, si verba vel facta &c. suapte natura sint injuriosa, ita ut etiam protestatio contraria nihil proffit, aut ab injuria excuset, ut si dicam alteri, mentiris, salvo tamen honore tuo & reverentia, cum sit protestatio contraria facto, & consequenter nihil relevet injuriantem, nec excuset ab injuria (saltem in foro externo) etiamsi verum sit crimen illud, quod objicit, nisi bonum publicum exigeret crimen alterius sciri, vel ad puniendum, vel ad inhabilitatem agnoscendam illius ad officium v.g. promovendi &c. excusatur tamen ab injurie actione, qui retorquendo injuriam sibi illatam in continentem & cum debito modo contra injuriantem se, injuriam illi

*Compend, Pirking,*

dicendo, defendit, cum hic non tam injuriam alteri dicat, quam se defendat. Potest autem in aliis casibus contra injuriantem duplex actio institui, Civilis scilicet, ad estimationem injurie, & poenam sibi adjudicandam, vel criminalis, ad poenam corporalem, aut fisco adjudicandam, aut saltem ad revocationem injurie, ita tamen ut hæc actio injuriantem, etiam tolli possit, ut criminalis est, per lapsum anni, prout sciunt Civilistæ, & absolute per remissionem expressam aut tacitam.

## §. II.

## De damno dato.

**S**tatur quidem in cap si culpa q. de. restitueret eum, & relarcire omne damnum debere, quod culpa sua, negligentia, vel impericia dedit, ita ut nec ignorantia damni eum a restitutione excuset, quia scire debuit, quod ex facto suo injuria alteri verisimiliter contingere possit, ita ut animal, quod nocuit, vel noxæ dare debeat dominus, vel estimationem damni præstare, si solum animal absque culpa domini, damnum dederit &c. quia tamen hæc, & plura alia, quæ in hoc §. referuntur, judiciaria præcepta sunt veteris Testamenti, ex lib. Exodi desumpta, quæ hodie expirarunt; vel

M m m m

fun-



fundantur in quibusdam præsumptionibus, aut pœnalibus legibus, & pluribus à Theologis explicantur, plura addenda hîc non videntur. Videantur Theologi in materia de restitutione.

## §. III.

*De repressaliis, sive pignorati-  
onibus?*

**R**epressaliæ sunt literæ, in quibus Princeps, vel respublica suis subditis, aut militibus injustum damnum passis, potestatem dat invadendi, & occupandi eorum, qui damnum dederunt, bona, etiam si ipsi pars quidem sint ejus communitatis, contra quam repressaliæ concessuntur, innocentes tamen sint, ad damni compensationem; licitas esse has, praxis docet, si debitæ conditiones observentur, & primò quidem, ut auctoritate Principis, qui

bellum indicere potest, indicentur. Secundò ut justa causa sit, earum indicendarum, talis scilicet, quæ ad indicendum bellum sufficeret. Tertiò ut sit recta illius intentio, cui conceduntur repressaliæ. Quartò ut illarum damnum, & interesse datum, non excedant. Quintò ut non fiant in personis, sed in rebus tantùm, saltem ex principali intentione, quidquid per accidens sequatur. Sextò ut priùs admonitus sit de compensatione danda, contra quem repressalia conceduntur, & tamen non latifecerit; neque tamen repressaliæ concedi possunt contra personas Ecclesiasticas, aut bonas earum, *cap. et si in 6. h. t.* uti nec contra scholares, *ausb. habita cod. ne Filius pro patre &c.* cum personæ tales censentur Privilegiatæ, & consequenter contra eas odiosa extensio non est faciendâ,

## T I T V L V S XXXVII.

## DE POENIS.

## §. I.

*De poenis in genere.*

**P**œna in genere rectè definitur, quòd sit *criminum coercitio seu vindicta ad disciplina publicam emendationem inducenda*. & quamvis semper culpam supponat pœna, non tamen semper illius, qui panitur, culpam supponit; sic in

crimine læsæ Majestatis, liberti etiam nonnunquam puniuntur innocentes, propter delictum patris &c. sunt autem pro varietate delictorum varietatibus etiam pœnæ; aliæ capitales, quibus mors naturalis, vel civilis infertur, aliæ non capitales quidem, corporales tamen, sive corporis afflictivæ; aliæ pecuniariæ, privatis vel fisco publico applicandæ; aliæ ordinariæ, & legales, à lege, vel Prin-



Principe, vel consuetudine introductæ; Canonicae, vel civiles; alia extraordinariae, sive arbitrariae; alia positivæ; alia privativæ &c. & quamvis inferior iudex teneatur reo, de crimine sufficienter convicto, poenam ordinariam, sive à lege præscriptam imponere, neque possit eam minuere, aut augere ob utilitatem boni publici, potest tamen hoc supremus Princeps dispensando in lege, si dispensare in ea possit, & iudex nonnunquam inferior ob varias puniendi circumstantias, ita ut plerumque hodie poenæ sint arbitrariae,

## §. II.

*De variis poenis in specie, de quibus agitur in hoc titulo?*

Videantur quæ hoc & sequentibus §. 9. in hoc Tit. explicantur apud Auth. Metoh. quia per se vel nota sunt, vel non omnibus hodie necessaria scitu sunt, vel etiam ex jure civili peti possunt. Legi etiam potest de poena pecuniaria cap. 2. 3. & 4. hoc t. de poena conventionali cap. 7. & 9. eodem. de poena depositionis. cap. 5. h. t. de poena degradationis. cap. degradatio. 2. h. t. in 6. de poena carceris. cap. quamvis 3. h. t. in 6. &c.

## T I T V L V S XXXVIII.

## DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBUS.

## SECTIO I.

## De penitentia.

## §. I.

## De penitentia in genere.

Penitentia triplici modo accipitur, prout est virtus specialis, prout est Sacramentum, (de qua utraque acceptione consulendi Theologi) & prout

est satisfactio pro commissis. Hæc autem duplex est, privata, quæ in actu sacramentalis confessionis imponitur, & privatim perficitur; ac publica, pro manifestis peccatis, publicè scandalosis, publicè peragenda, cujus hodie vix usus est. Publica tamen hæc penitentia subdividitur in solemnem, quæ fit quadragesimæ tempore, certis solemnitatibus observatis, & finitur in Cornu Domini, à solo Episcopo imponenda, juxta Canonem 64. dist. 50. (quæ olim in usu fuit, hodie tamen de ea vix constat aliter)   
M m m m z quid



quid) & in non solemnem, quæ publicè quidem, & in facie Ecclesiæ injungitur, & perfici juberetur, sine certis tamen solemnitatibus; de hac publica pœnitentia loquitur *cap. manifesta 1. h. 1.* ubi dicitur, *manifesta peccata non esse occultâ tantum correctione purganda* &c. quia tamen Confessionis sigillum per tales publicas pœnitentias pateretur læpius; ideo nulla, vel certè rara, & non sine matura deliberatione publicarum pœnitentiarum praxis est, sicut & pœnarum, quæ §. 2. & 3. h. 1. referuntur, & apud Auth. Metho. videri possunt.

## §. VI.

*De precepto sacramentaliter confitendi saltem semel in anno, & sacramentum Eucharistiæ recipiendi in paschate?*

**H**uius §. materia quamvis de ea in *cap. omnis 12. h. 1.* etiam agatur, rectius tamen ex Theologia morali petitur; uti & quæ explicantur in §. 5. ex *cap. quòd quidem 5. h. 1.* an Confessio illius, qui dicit se non posse abstinere à peccato, sit admittenda: & quæ queruntur §. 6. de confessione mulieris, quæ partem alienum sibi supposuit, vel proprium ex adulterio suscepit, ex *cap. Officij 9. h. 1.*

## §. VII.

*An pœnitentia, & quenam alia tempore generalis interdicti sint concessa, vel non; & an damnatis ad mortem pœnitentia sit concedenda?*

**D**epriore quaestione, cujus etiam in hoc Tit. in *cap. quædam 11.* habetur, infra dicitur, cum specie de interdicto moribundæ quaestiones.

Alterâ quaestio affirmativè desinit in *Clemen. cum secundum 1. h. 1.* scilicet damnatis ad mortem Sacramento Pœnitentiæ (& Eucharistiæ) concedendum sit, si id petat, non obstante consuetudine in contrarium quam Concilium tanquam ab usum innovavit, cum his vel maxime referatis sint hæc Sacramenta, ad parvum & hunc moriendum.

## §. VIII.

*De Quæstoribus eleemosynarum.*

**V**ide de his, quæ rariè in *cap. cum ex eo 14. h. 1.* & *cap. de reformatione. h. 1.* & denique *Trident. sess. 5. cap. 1.* de reformatione.

## §. IX.

*Quinam habeant facultatem eligendi sibi confessorium.*

**E**piscopis & omnibus superioribus etiam non exemptis, nec non inferioribus seu inferioribus Prælatibus exemptis, ut etiam sine superiorum auctoritate providum, ac dilectorum confessorium sibi possint eligere, conceditur *cap. ultimo h. 1.* ne scilicet, ut *Pompeianus* ait, propter dilationem pœnitentiæ



riculum imminet animarum, quod si tamen Episcopus suo subdito concessit, ut sibi idoneum confessarium eligere possit, nullam tamen hic electus in casus Episcopo specialiter reservatos jurisdictionem habet, prout statuitur in cap. si Episcopus. 2. h. t. in 6.

SECTIO II.

De remissionibus sive indulgentiis.

Hanc hujus sectionis materiam vel breviter explicatam apud Auth. Method. vide, vel fusius traditam apud Theologos morales.

TITVLVS XXXIX.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS, SUSPENSIONIS, ET INTERDICTI.

SECTIO I.

De prima censura Ecclesiastica, nempe excommunicatione.

§. I.

Quid & quotuplex sit Censura.

Censura in genere dici potest, pena quadam spiritualis ac medicinalis, privans usu aliquorum bonorum spiritualium, per Ecclesiasticam potestatem inflicta, delinquenti, donec a contumacia cesset. Esse autem penes Ecclesiam potest e n infligendi censuras, ex Evang. Math. c. 16. probatur, & ex ratione, qua quilibet respublica jus habet, ad eo modo coercendos contumaces, & rebelles &c.

Proprie autem loquendo tres tantum sunt censuræ, Excommunicatio, suspen-

sio, & interdictum, prout colligitur ex cap. quarensi de V. S. & hinc irregularitas non est censura (qui enim violat censuram, sic irregularis, non tamen novam incurrit irregularitatem, qui irregularis cum sit, Sacramenta tamen suscipit, vel administrat) sed nec cessatio a divinis, cum non priveat usu divinorum, sed omitti tantum ea velit, nec degradatio aut depositio &c. quæ sunt pœnæ incorrigibilium.

§. II.

Quid, & quotuplex sit excommunicatio, & quæ formæ fieri debeat?

Excommunicatio in genere est censura Ecclesiastica, per quam Christianus a communione Ecclesie, seu reliquorum fidelium separatur; est autem triplex fidelium communicatio pure interna, pure externa, & mixta. Prima con-

M m m m 3



consistit in fide & gratia, quâ membra, fideles scilicet, cum suo Capite Christo Jesu conjungantur, & inter se, ut sibi invicem impetrare de congruo possint specialia beneficia, &c. quâ non privat, nec privat potest Ecclesia, ita ut possit pro his privatâ intentione, privatus orare, sacrificare, &c. prout hæc opera privati hominis sunt. Purè externa consistit in politica aliqua societate fidelium in colloquio v. g. convictu, commercio, &c. Mixta denique est, quæ partim interna, partim externa est, & consistit in usu & administratione Sacramentorum tam activâ, quàm passivâ, in communibus suffragiis nomine Ecclesiæ, in aliis publicis officiis spiritualibus, ac Ecclesiastica sepultura, &c. & hæc utraq; private potest Ecclesia, diverso tamen modo, & rigore, pro diversitate censuræ.

Dividitur autem excommunicatio primò in majorem, & minorem, uti patet, *ex cap. Si quem 59. b. t.* Major est, quæ absolute à communione fidelium separatur, ut paulò post ostendetur, & poena gravissima est, quâ nulla major est in Ecclesia, ac sub nomine excommunicationis absolute positæ semper intelligitur, neque substantialiter, seu essentialiter ab anathemate differt, sed tantùm accidentaliter. Secundò dividitur in eam, quæ fertur à jure, & in eam, quæ fertur ab homine; hæc per Judicis sententiam instigitur, illa per legem, sive constitutionem perpetuam; quæ tamen iterum subdividitur, in eam, quæ ipso facto incurritur, sive per criminis admissionem, ante sententiam condemnatoriam Judicis, & latæ sententiæ dicitur, & in eam, quæ

non incurritur ipso facto, sed ad quam incurrendam necessaria est condemnatoria Judicis sententia, & dicitur sententiæ sententiæ. Tertio dividitur in justam & injustam, justa est, quæ à legitimo Judice, & servato juris ordine interitur, injusta est, cum aliquid horum debet, & harum alia est valida, cui tantum deest circumstantia debiti finis, vel solemnitas aliqua accidentalis, alia invalida, sive nulla, quæ fertur à non legitime potestatem, vel contra privilegium auctorius, vel post legitimam appellationem, vel quæ continet errorem inordinabilem. Quarto denique dividitur excommunicatio in generalem, quæ fertur in communi, in omnes taliter delinquentes, & in particularem, quæ contra specialem personam fertur, expresso quoque nomine, &c.

Et quamvis ad valorem excommunicationis certa verborum forma non requiratur, & nec scriptura sit de necessitate, *juxta cap. tamen Mediolani 1. d. in 6.* ad majorem sententiæ talis materiam requiritur, ut in scripto probetur, & causa exprimat, ob quam quis excommunicatus est, ac copia excommunicationis detur excommunicato, si ab eo fuerit petita, ita ut validus sit futura excommunicatio, si horum aliquid omittatur, Iudex tamen contra aliquid omittens ab ingressu Ecclesiæ, & divinis officiis per mentem sit suspensus.



§. III.

De effectibus excommunicationis, sive majoris, sive minoris.

**E**ffectus majoris excommunicationis sunt plures & varii, quos pluribus examinant, & explicant Theologi morales, potissimi sunt. Primum, quod sint privati activo usu Sacramentorum, ita ut nullus possit Sacramentum aliquod administrare (licet saltem, si potestas ordinis tantum requiratur) nisi gravis necessitas urgeat ad quaedam necessaria ad salutem administranda. Secundum, quod sint privati usu passivo Sacramentorum, ut nullum Sacramentum licet suscipere possint, quamdiu sint in excommunicatione positi, *cap. cum illorum 32. h. t.* Tertium, quod privati sint communibus Ecclesiae suffragiis, ita ut nullus horum, ut publica & communia sunt Ecclesiae suffragia, fructus in eos deriveret, etsi fortassis in gratiam restitutus esset coram Deo. Quartum, quod sit prohibitum illis divinis officiis interesse, quae communiter fiunt à ministris Ecclesiae, ad hoc deputatis. Quintum quod sint privati omni usu, seu executione jurisdictionis Ecclesiasticae, saltem, si tolerari non sint. Sextum, quod sint privati omni communicatione forensi, ita ut excommunicatus non possit habere officium publicum fori externi, & per exceptionem oppositam excommunicationis in utroque foro repelli possit. Septimum quod sint privati omni communicatione civili, & politica cum aliis fidelibus, ita ut excommunicato non tolerato, quales sunt notorii Clericorum percussores, & nominatim

denuntiati, non liceat taliter communicare, etiam Civili communicatione, prout notissimo illo versiculo prohibetur:

*Os, orare, vale, communicatio mensa negatur.* Octavum, quod sint inhabiles ad beneficia obtinenda. Nondum, quod priventur sepulture à Ecclesiastica, ita ut in loco sacro sepeliri non debeant, neque solemniter à clero ad sepulturam deduci, quod tamen de solis non toleratis excommunicatis intelligi debet.

Minoris vero excommunicationis duo potissimum effectus sunt: primum, quod taliter excommunicatus sit privatus usu passivo sive susceptione sacramentorum. Et secundum, quod sint inhabiles ad beneficia obtinenda, quae saepe haberi non possunt sine obligatione ad suscipienda Sacramenta.

SECTIO II.

De causis excommunicationis.

§. I.

Quinam possint excommunicare, vel excommunicari.

**P**otestatem excommunicandi habent illi omnes & soli, de jure communi, qui jurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo habent, prout sumitur ex *cap. cum ab Ecclesiarum 3 de officio jud. ordi.* (in specie tamen cujusvis Ecclesiae consuetudo attendenda est) & hinc laici, clerici conjugati, feminae, etiam si sint Abbatisse sine Pontificis dispensatione



ne excommunicare non possunt, cum absque hac licentia nulla illis competat Ecclesiastici fori iurisdictio, & de Abbatissis etiam hoc probat *cap. dilecta 12. de major. & obed.*

Excommunicari autem possunt omnes, & soli homines viventes, baptizati, deli capaces, qui in Ecclesia superiorem habent: alij enim vel non sunt subditi iurisdictioni Ecclesie, vel contumaces contra Ecclesiam haberi non possunt, vel non habent, qui in eos possit coercionem exercere: quia imò, cum gravissima pena sit excommunicatio, non potest simul & collectivè integra aliqua communitas, aut universitas aliqua excommunicari, ne innocentes cum nocentibus eadem penam involvantur *cap. Romana 5. §. ult. h. t. in 6.* quamvis singuli, & omnes distributivè, qui sunt de communitate, si omnes rei sint, excommunicari possint: neque extranei, in diocesi aliqua delinquentes incurrant excommunicationem, si hæc generaliter lata sit, ab ordinario loci illius, in omnes hoc vel illud delictum admittentes, cum taliter sententia generaliter ab illo lata, vel statutum tale eos tantum afficiat, qui subditi sunt illius iurisdictioni, quales non sunt, qui in tali diocesi sunt peregrini *cap. à nobis 21. h. t.*

### §. II.

*Ob quam causam excommunicatio vel alia censura ferri possit?*

**M**ajor excommunicatio, aut alia censura Ecclesiastica ferri tantum

potest, ob peccatum mortale (prosumitur etiam ex *Triden. Sess. 25. cap. 3. de reform.* & proportio inter culpam & penam talem gravem probat) inobedientie aut contumacie contra Ecclesiam (saltem generalis) & quidem quod in actum externum prodierit (quia Ecclesia non iudicat de internis, nisi inditectè, quatenus ille cum actu interno conjunctus est) neque in alio genere ob peccatum merè præteritum (cum in aliis gatur ad frangendam contumaciam, quæ nulla est, si peccatum merè est præteritum) & requirit actum, ut incurratur, in eo genere, sub quo prohibetur, peccatum, & consummatum, cum prohibitiones sub pena censurarum sint odiosæ, & consequenter strictæ interpretationis.

### §. III.

*An excommunicationem necessario precedere debeat monitio Censuræ, & quomodo alius ferri debeat excommunicatio?*

**S**i ab homine, sive iudice propter peccatum præteritum, vel præteritum, in quo reus contumaciter persistit, vel iure ferendæ sententiæ excommunicatio infligitur, in si gi ea non debet nisi aliqua præcesserit admonitio *cap. sacro 41. h. t.* (ubi enim nulla præcessit monitio, non est contumacie locus) & quidem illa vel triplex, post duorum aut trium dierum intervallum inter unam & alteram, vel unica quidem, & peremptoria, quæ tribus tamen æquivalet, ob statutum dierum intervallum; & quamvis ad veritatem excommunicationis non præquantur



quirantur hæ tres monitiones, cum una sufficiat, prærequiruntur tamen illæ, aut una æquivalens tribus, ex juris præcepto, ut iustè feratur excommunicatio, nisi casus excepti sint, de quibus videndus Barbol: in cit. cap. sacro.

Si tamen excommunicatio, aut censura alia pro culpa futura, ab ipso canone, seu jure statuatur, ipso facto incurrenda, non est necessaria ulla admonitio, quam quæ à lege statuenta habetur, cap. reprehensibilis 26. de appellat: cum hæc perpetuò moneat, & satis contumax ac inobediens Ecclesiæ videatur, qui hanc monitionem negligit.

Neque debet ferri excommunicatio, quamvis monitio competens præcesserit: sine manifesta, & rationabili causâ, quæ coram iudice ferente probata fuit, ita ut appellare etiam possit, qui sine rationabili causa excommunicatus est, & nisi errorem suum corrigere velit, qui excommunicavit, possit ac debeat superior, vel illum remittere ad excommunicatorem injustum, cum mandato de eo absolvendo, vel possit ipse per se vel per alium absolvere talem sufficienti cautione receptâ, quod juri sit pariturus, prout pluribus videre est in cit. cap. sacro §. caveat.

§. IV.

*Quibus casibus censura excommunicationis vel alia, sit injusta, & quibus sit invalida?*

Excommunicatio, vel etiam alia censura illicita quidem, & injusta sæpius potest esse, si ex odio vel aliâ finistrâ intentione feratur, si ordo accidentalitatis in processu non observetur, si legi-

*Compend. Pirhing.*

tima forma non adhibeatur &c. valida tamen est ( nisi in iudice deficiat iurisdic-tio, aut defectus substantialis committatur, in judiciali processu, vel quòd de crimine legitime convictus non sit reus, vel quòd nullum crimen commiserit, quamvis juridicè crimen de illo probatum sit ) ita ut in foro conscientiæ non quidem liget, liget tamen in foro externo, & in hoc foro absolutio ab eâ, si de ea latâ publicè constet, petenda sit, & accipienda, ad vitanda scilicet scandala, quæ ex contratio casu facilè sequi possent.

§. V.

*An & qualis ignorantia, & quis metus excuset ab excommunicatione, vel alia censura?*

Ignorantia facti sub excommunicatione, aut alia censura prohibiti, si excuset à culpa mortali, excusat etiam à censurâ incurrenda cap. si verò 4. h. r. tum quòd ubi culpa non est, pœna locum non habeat, tum quòd censura sit medicinalis pœna, quæ scientiam supponit: si tamen sit juris ignorantia ( quòd jus prohibet aliquid sub censura incurrendæ minis ) quamvis sciat aliquis, factum tale jure naturæ, aut divino prohibitum esse, si inculpabiliter tamen ignoret, de jure Ecclesiastico, sub pœna excommunicationis, aut alterius censure, prohibitum tale quid esse, vel si sciat quidem ab Ecclesia prohibitum hoc esse, nesciat tamen inculpabiliter, quòd prohibitum sit illud sub pœna excommunicationis, aut censure, ita ut invincibiliter ignoret pœnam ta-

Nnn nn

lem



lem tali delicto positam ab Ecclesia, non videtur incurre excommunicatio, aut censura ab eo, qui contra tale jus prohibens agit, cum in tali casu non sit inobediens, aut contumax talis contra Ecclesiam, ad quam tamen contumaciam impediendam late sunt censuræ; aut ul- lam censuræ notitiam habeat, quo posset per eam deterreri à delicto tali committendo; quin imò vincibilis etiam ignorantia, siue juris illa sit, siue facti, siue pœnæ, quamvis mortaliter culpabilis sit, dummodo non sit crassa aut supina, vel affectata, excusat à censura cap. 2. de consuet. in 6. quamvis enim talis ignorantia, à transgressione legis non excuset, excusat tamen à pœna incurrenda, quæ perfectæ in contumaciam supponit, prout supponunt censuræ.

Morus denique, si excuset à transgressione præcepti Ecclesiastici, quamvis peccet talis contra legem divinam aut naturalem, excusat etiam à censura incurrenda, cum in tali casu taliter delinquens non sit contumax contra Ecclesiam, & consequenter nec censuram in contumaces latam incurret.

### SECTIO III.

*De excommunicatione in specie & imprimis de illa, quæ iure decreta est, ob percussione[m] Clerici.*

#### §. I.

*Quanam in iure Canonico statuta sint circa percussione[m] Clericorum?*

**I**N Canone si quis suadente 29. caus. 17. §. 4. statuitur, ut si quis in Clericum

vel monachum manus violentas injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum presumat absolvere, nisi urgente mortis periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat: sicuti autem sub generali acceptione: si quis: omnes generatim personæ veniunt doli capaces & baptizati, viri & femine, nobiles & plebei, magni & parvi &c. sic sub nomine Clerici etiam illi intelliguntur, qui primâ tonsurâ suâ initiati, & sub nomine Monachorum comprehendantur omnes religiosi utriusque sexus, etiam conversi & conversæ, Novitii &c. cap. religioso 11. §. quamvis in 6. h. 1. & sicuti per id manus violentas injecerit intelligitur quovis actio externa, & corporalis iniuria seu injuriola, siue manibus siue aliis membris, siue fuste siue gladio facta sit, ita debet illa etiam quoad eternam violentiam graviter esse injuriola clerico, & mortaliter mala, siue denique facta sit in ipsam personam Clerici vel Monachi, siue in res ipsæ adhaerentes, tum quod per censuram non tam actio interior, pessima scilicet intentio, quæ non cadit sub forum externum Ecclesiæ, quam actio exterior puniatur, tum quod per injustam etiam detentionem ipsius Clerici, aut equi, cui insidet, vel per violentam ereptionem reum illi adhaerentium &c. merito censentur violentæ manus in clericum v. g. injectæ, prout etiam colligitur ex cap. nuper 19. h. 1. quamvis Clericus ipse in hac violentiam sibi factam consentit, cum non possit privata persona utiliter cedere privilegio in favorem totius ordinis Clericalis concessio



cello cap. contingit 36. h. t. ubi etiam talis hic consentiens excommunicandus dicitur. Et quavis alia censura lata contra facientes extendenda non sint ad mandantes, cooperantes &c. in e. rament mulieres 6. §. illi vero h. t. ad mandantes etiam, consulentes &c. hæc canonis excommunicatio extenditur (nisi congruo tempore mandatum revocasset mandans, aut consulens non influxisset) & in cap. cum qui 23. h. t. in 6. etiam ad ratihabentem saltem positæ ratihabitionis; & in cap. quanto 47. h. t. ad eos etiam, qui cum ex officio & iustitia teneantur impedire percussorem clericum, hanc tamen non impediunt, quia tales interpretantur jura favere delinquentibus, qui manifesto facinori, cum possint, desinunt obviare.

§. II.

Quis possit absolvere ab excommunicatione canonis, ob percussorem Clerici vel Monachi?

**I**uxta relatam can. si quis suadente, inemo potest ab excommunicatione ob percussorem Clerici v. g. absolvere, nisi Summus Pontifex, si gravis vel enormis illa fuit, considerando non tantum percussorem, quæ notabilem corporis maculam affert, vel sit cum mutilatione, laceratione carnis, aut immodica pilorum evulsione, sanguinis effusione &c. sed considerando etiam circumstantias personarum, loci, temporis, percussoris &c. Excipiuntur tamen à communi hac regula casus aliqui, in qui-

bus etiam Episcopis conceditur absolvendi potestas à tali excommunicatione. Primò si mortaliter illa quidem mala fuit, levior tamen tantum, manu v. g. exporrectâ, cum modica sanguinis effusione &c. c. perveni 17. h. t. Secundò si ostiarius potestatis alicujus, non autem si officialis ipse, prætextu officij clericum malitiosè percusserit (nisi fortè eum graviter vulneraverit) potest ostiarius ab Episcopo absolvi (quia percussio illa fortasse contingit casu fortuito, vel solum moderamen excessit talis) non autem officialis, cui nulla in clericum jurisdictionis competit cap. si vero 3. h. t. Tertio si Monachi vel Canonici regulares se invicem in claustris percusserint, per Abbatem suum absolvi possunt, modo non sit enormis percussio cap. Monachi 2. h. t. ut ne talibus detur occasio extra clausuram vagandi: quæ licentia absolvendi Abbatibus concessa in cap. cum illorum 32. h. t. §. nos igitur. extenditur etiam ad illos regulares, qui in excommunicationem, ob percussorem Clerici regularis inciderunt, ante ingressum religionis (in favorem scilicet religionis) & ad comendatarios hospitalis S. Joannis Hierosolymitani in cap. Canonica 50. h. t. qui à suo Priore absolvi possunt, nisi ex circumstantiis variis enormis fuisset talis percussio.

¶(o)¶

Nun n n 2

§. III.



## §. III.

*De nonnullis casibus, in quibus percussio Clericorum vel Monachorum excommunicationem canonis incurrit?*

**P**rimò qui Clericum sibi vim inferentem vi repellit in continenti, non incurrit canonis excommunicationem, quia vim vi repellere omnia jura permittunt, *cap. si verò 3. §. si verò clericum h. t.* Secundò non incurrit hanc excommunicationem Prælati, aut Magister, correctionis causâ percussio Clericum, vel Monachum sibi subjectum, seu discipulum; vel qui percussit Clericum cum uxore sua, matre, filia vel sorore turpiter agentem, ob justam causam doloris ab excommunicatione excusantis, modò percussio in continenti; vel si impuberes Clerici se invicem percussio, qui nondum plenum usum rationis habent, vel si adultiores etiam Clerici per jocum; aut ludendo inter se percussio, quia in tali casu nullum peccatum intervenit.

## §. IV.

*In quibus casibus Episcopus Diœcesanus possit absolvere ab excommunicatione contractâ ob percussio Clerici?*

**P**ræter ea, quæ §. 2. dicta sunt, conceditur etiam potestas Episcopis absolvendi ab excommunicatione ob Clerici percussio, in articulo mortis, ubi nulla reservatio locum habet, juxta *Triden. Sess. 14. cap. 7.* & hinc in tali casu simplex etiam sacerdos absolvere po-

test à censura, si Episcopus adiri non possit. Secundò rescribit in *cap. ea rescribitur 13. h. t.* Clemens III. quòd mulieres, senes, infirmi, membris destituti seu mutilati, propter absolutionem ab hac excommunicatione obtinendam, non tenentur Romam excurrere, cum hoc vel istas personas non deceat, vel illis impossibile sit, sed ab Episcopis suis absolvi possint, factâ prius convenienti satisfactione, & si in infirmitate positi, absolvi fuerint, præfatio juamento de sistendo se, ubi convalescerint, Pontifici, vel ejus Legato, mandata illorum exopturi, ne reincidant scilicet in eandem excommunicationem, prout in *cap. statuitur*. Tertio Romam excurrere non debent, propter absolutionem obtinendam, qui non sunt sui juris, ut sunt servi, mancipia &c. vel sunt valde debiles persone, ut nequeant laborem eundem Romam &c. in se suscipere &c. qui omnes ab Episcopo absolvi possunt, cuius est etiam judicare de potentia eundem Romam &c. *cap. Mulieres t. h. t.* Quarto inter eos, qui excusantur in Romam pro obtinenda absolutione, numerantur etiam pauperes in *cap. quod de his 26. h. t.* nisi mendicando latrem venire possint Romam, & talis mendicatio illis consueta sit. Quintò juxta *cap. de catero 11. h. t.* excusare potest ab itinere hoc Romano quodlibet impedimentum, quod non permittit sine periculo ire Romam, quo in casu, ut & pluribus alijs, qui videri possunt apud Auth. Method. tam hinc quam sequentibus. § §. ubi etiam satis insinuat, quomodus in talibus absolveatis, si impedi-



pedimentum perpetuum non fit, sit adhibendus.

alij fideles non excommunicati cum his communicare, & velint, licite possint.

SECTIO IV.

§. II.

De excommunicatis vitandis, vel non vitandis, & prohibita vel concessa cum eis communicatione.

Qua persona, & ob quas causas excusentur, ut licite possint communicare cum excommunicato non tolerato, seu vitando?

§. I.

Quinam excommunicati sint vitandi, vel non vitandi.

Causæ, ob quas cum excommunicatis etiam non toleratis communicare liceat, hoc versiculo comprehenduntur: *Præ, lex, humilis, res ignorata, necesse:* ita ut communicationem permittat.

DE jure antiquo omnes excommunicati majore excommunicatione vitandi sunt, tam in divinis, quam profanis, ita ut cum illis nulla communicatio liceat, cap. cum non ab homine 14. h. t. & cap. nulli 8. eodem, ac cap. cum plantare 3. §. excommunicatos de privilegiis, post Concilium tamen Constantiense, ne nimia vitandorum multitudine difficilem faciat conversationem inter homines, duo tantum sunt genera excommunicatorum, qui vitari debent, publicè scilicet excommunicati, & denunciati, ac notorij clericorum percussores, qui in excommunicationem canonis, si quis suadente incidant (prout probatur ex constitutione Concilii Constantiensis ad vitanda &c. ex qua constitutione etiam habetur, quòd per eam nullus favor sit factus ipsis excommunicatis, quasi ad communicandum cum non excommunicatis ingerere se possint sine peccato, sed quòd

Primò, Utilitas sive communicantis sive excommunicati, tam temporalis, quam spiritualis cap. Responso 43. h. t. Secundò, licitam hanc communicationem facit lex, matrimonialis scilicet, can. Quoniam multos 10. caus. 11. q. 3. ubi absolute asseritur uxorem cum marito excommunicato communicare posse. Tertiò, licitam hanc communicationem facit humilitas subjectionis, ita ut qui alicui subjei sunt, possint eidem communicare, quamvis vitandus ille excommunicatus esset, cum excommunicatio non tollat obedientiam debitam; & hinc liberi, sive naturales, sive adoptivi sint, possunt cum suis parentibus, quamvis excommunicati vitandi sint, communicare; servi, famuli, ancillæ, ac villici, cum suis dominis (saltem si ante excommunicationem ad eorum obsequia obligati erant) Clerici, qui sunt de familia Episcopi, cum hoc suo Episcopo, si excommunicatus vitandus sit; religiosi cum suo Prælato, &c. non quidem

Nnn nn 3

in



in opere criminoso, quod omnibus prohibicum sub pœna excommunicationis, neque cum his, eorūque iurisdictionem, quam nullam habent, implorando, sed in aliis negotiis tam divinis, quam politicis. Quartò licitam facit hanc communicationem ignorantia, si nescias scilicet, alterum excommunicatum vitandum, (quia in tali casu non adest contumacia) aut si dubites saltem, utrū alter excommunicatus sit, quia in dubio melior est conditio possidentis. Quintò denique licitam facit hanc communicationem, necessitas, sive vera indigentia, sive hæc ad animam, sive ad corpus, sive ad famam, sive ad alia bona temporalia pertineat.

## §. III.

*De communicante cum excommunicato in crimine, ejusque pœna & absolute.*

**C**ommunicamus cum excommunicato vitando in crimine criminoso, ut ajunt jura, (in crimine scilicet, ob quod excommunicatio in ipsum lata fuit) participando, scienter scilicet, cum eo in tali crimine, adjuvando illum, præstando illi auxilium, consilium, vel favorem circa hoc crimen, &c. & qui taliter communicat, majorem etiam excommunicationem incurrit, uti constat ex cap. *Nuper* 29. §. *in secunda verò quæst. h. t.* & cap. *Si concubina* 55. eod. qui faciens & consentiens participare à constringuntur, ut ait Pontifex in cit. cap. *Nuper*. Neque absolvi potest per se, nisi ab eo, qui alteram, cum quo communicat, excom-

municavit, aut hujus Superiore, & quidem præstito prius juramento, de parendo ejus mandato, nisi ob justam causam difficile esset ad excommunicatorem accedere, quo in casu concedit Pontifex, ut præstita cautione juratoriâ de parendo mandatis excommunicatoris, absolvetur à suo Episcopo, vel proprio Sacerdote, seu Parocho. Quòd si verò non in crimine criminoso, propter quod excommunicatus quis est, communicet aliquis cum tali excommunicato vitando, sed in aliis rebus tam sacris, quam profanis, orando v. g. cum illo, comedendo cum illo, &c. non incurrit hic talis majorem excommunicationem, sed tantum minorem, quæ à quolibet etiam simplici Sacerdote iurisdictionem ad abolitionem habente, sine alia præstita cautione absolvi potest, uti paulò post dicitur.

## §. IV.

*Quenam præterea statuta sunt de jure Canonico circa communicationem cum excommunicato.*

**M**ulta, quæ in hoc §. statuantur, & referuntur, ex jure antiquo petuntur, secundum quod omnes excommunicati vitandi sunt, etiam ab Episcopis aliisque Prælatiis Papa inferioribus, antequam absoluti fuerint, vel si fama sit aliquem esse excommunicatum, priusquam se purgaverit, quamvis excommunicatus talis pœniteat, & paratus sit satisfacere parti læsæ, vel etiam satisfecerit, & juraverit de parendo mandatis Ecclesiæ cap. *Cum desidero* 15. h. t. quæ, ut plura alia, utilius legentur apud Auth. Meth. quam ut hic sine necessitate referantur.



antur, cum vel nulla hodie, post Constant. Conci. talium jurium praxis sit, vel rara, vel ex d. & consent.

SECTIO V.

De absolute ab excommunicatione.

§. I.

Quinam possint absolute ab excommunicatione majore, vel minore?

Ab excommunicatione majore, sive à jure illa lata sit, sive ab homine generaliter, si expressè reservata non sit, potest non tantùm Episcopus, sed quilibet Parochus (sicut ex potestate juris delegata absolute) cap. Nuper 29. h. t. cujus enim, ut ait Pontifex absoluteionem sibi canonis auctor specialiter non reservavit, eo ipso concessisse videtur aliis. Si verò reservaverit ejus absoluteionem sibi, vel alii, qui canonem fecit, vel qui in specie excommunicavit, nemo alius ab ea absolute potest, nisi cui reservata est talis excommunicatio, vel hujus Superior, aut ab his delegatus, nisi articulus mortis urgeat, ubi cum nulla sit reservatio, consequenter quilibet, qui à peccatis absolute potest, poterit etiam ab excommunicatione, aut quavis alia censura absolute.

Ab excommunicatione minore à jure lata absolute potest quilibet, qui proprius Sacerdos, vel Parochus est talis excommunicati: & quamvis jurisdictionem fori externi non habeat, quæ tamen

requiritur ad absoluteendum ab excommunicatione, quia tamen jura illi hanc facultatem concedunt, rectè videtur ex delegatione juris hoc posse, ita ut absolute talem ab excommunicatione minore excommunicatum possit proprius Sacerdos, quamvis etiam hic ipse minore excommunicatione ligatus, cap. Duobus 56. h. t. neque enim absolute recipit Sacramentum, cujus usu passivo per excommunicationem minorem privatus est.

§. II.

An ab excommunicatione lata ab Episcopo suffraganeo in suos subditos possit Archiepiscopus, seu Metropolitanus absolute, sive ante appellationem, sive post illam?

Quod possit Archiepiscopus hunc talem à suo suffraganeo excommunicatum absolute, etiam si ante appellationem fuerit excommunicatus, Glossa finalis in cap. Per tuas 40. h. t. docet, & quod non teneatur illum remittere ad Episcopum excommunicatorem, nisi velit ipsi hoc deferre, prout nonnunquam dignitas Episcopalis exigit. Quod si verò excommunicatio à suffraganeo lata evidenter justa esset propter delictum manifestum, Metropolitanus seu Archiepiscopus hunc talem absolute non posset, sed remittere eum debet ad Suffraganeum, qui excommunicavit, pro absoluteione impetranda, juxta citatum cap. Per tuas, nisi requisitus hic malitiosè absoluteionem negaret; illud quidem, ita ut delicta in eo loco puniri appareat, ubi commissa fuerunt; hoc verò, ne malitia



litia alterius alteri poenitenti noceat. Multa adhuc alia in hoc §. disputantur, de nulla, & injusta excommunicatione; quòd in illo casu nulla sit necessaria absolutio, ne ad cautelam quidem, in hoc autem casu sit necessaria absolutio, si agere velit excommunicatus &c. quæ apud Auth. ipsum rectius videbuntur, in casu ubi necessitas, aut utilitas scientiam illius requirit, videatur etiam *cap. Romana §. b. t. in sexto.* & quæ §. 3. sequente apud Auth. Meth. disputantur.

## §. IV.

*Quâ formâ seu modo fieri debeat absolutio ab excommunicatione?*

**N**ulla quidem certa verba præscripta sunt, quibus fieri debeat absolutio ab excommunicatione; quæ tamen ordinariè adhibeantur (saltem in foro externo) apud Theologos morales videre est, duplex tamen absolutio in tali (non quidem ut valida sit, sed ut sit licita) præmittenda est cautio, prima quidem per juramentum fit, de parendo mandatis Ecclesiæ, vel ipsius absolventis, quòd scilicet hujusmodi delictum eum iterum impofterum non velit *cap. 10. 11. 12. b. t.* secunda est de satisfaciendo parti læsæ, sine qua satisfactio, aut saltem cautio (licet saltem) absolvi non potest. Neque tamen, qui juravit se satisfacturum, si postmodum id non præstet, quamvis possit, in priorem excommunicationem ipso jure reincidit, cum hoc in nullo jure expressum sit. Ut autem absolvatur aliquis validè, aut

licitè, non requiritur quidem illius presentia, cum sicuti absens ligari potest censurâ, ita ab eadem absens possit absolvi, requiritur tamen, ut obtineatur absque vi, aut metu justè incusso (ita ut de jure Ecclesiastico nec valida sit, si vi aut metu injustè incusso (ita ut de jure Ecclesiastico nec valida sit, si vi aut gravi metu injustè incusso obtineatur *cap. unico de his, quæ vi metue in 6.*) ne disciplina Ecclesiastica damnatum aliquod patiat, si contra illam vis, aut metus prævaleat: & quamvis sub conditione de præterito, vel de præterito, valida, & licita sit absolutio ab excommunicatione, si fiat tamen sub conditione de futuro, pendet illius solutionis effectus, donec conditio impleatur, ex voluntate scilicet Ecclesiæ statuente hanc à conditione suspensionem; secus autem fit in Sacramentali absoluteione à peccatis, ubi ex institutione Christi, à qua Sacramentum hoc dependet, nulla dari potest absoluteionis in capaci subiecto suspensio.

Sunt alij adhuc duo modi, quibus subinde ab excommunicatione v. g. absolutio datur, ad cautelam scilicet, & ad reincidentiam: priori modo datur absolutio, si dubium, seu suspensio est, an aliquis censuram aliquam incurrit, qualis absolutio non tantum ordinariè præmittitur sacramentali peccatorum absoluteioni, ad vitandam scilicet contumaciam, sed aliis etiam casibus, quorum valor, per censuram v. g. impediri potest, prout ordinariè in scriptis Romanis, in ordine ad electionem, collationem beneficii &c. fieri



solet, cap. Venerabili 25. h. 3. Ad reincidentiam fit absolutio, quando quis propter impedimentum v. g. legitimum ab inferiore, qui alias absolvendi licentiam non habet, absolvitur quidem, cum eo tamen onere, ut cessante hoc impedimento temporali, se presentet superiori, cui talis absolutio reservata est, sub pena in eandem (moraliter) excommunicationem reincidenti, si se presentaturus non sit cap. eos qui 22. h. 1. in 6. ne detur occasio censuram Ecclesiasticam impunè contemnendi.

§. V.

*Verum is, qui duabus vel pluribus excommunicationibus ligatus est, si ab una absolvatur, censetur etiam absolutus ab aliis?*

**R**espondetur negativè, si ex pluribus diversis causis plures excommunicationes incurrit, & in petitione absolutionis, unius tantùm causæ meminit, tacendo alias, prout sumitur ex cap. clem. pro causa 27. h. 1. & si à pluribus Prælati, quibus subiectus est, propter plures excessus excommunicatus fuit, non erit absolutus ab excommunicationibus suis v. g. si ab uno tantùm eorum Prælatorum absolvatur, sed ab aliis etiam absolvi debet, (nisi hi omnes unum eorum commissionem dedissent, suo etiam nomine absolvendi eum cap. officij. 42. h. 1. cum per hoc, quòd unum eorum propter delictum contra ipsum commissum satisfactum fuerit, non cen-

*Compend. Perhing.*

seatur etiam aliis propter delicta in ipsos commissa, satisfactum.

§. VI.

*De absolutione excommunicati decedentis in excommunicatione.*

**E**xcommunicatum, quamvis multa signa pœnitentiæ ante mortem dederit, & coram Deo ab omnibus peccatis absolutus sit, coram Ecclesia tamen ligatum suâ adhuc censurâ posse manere etiam post mortem, clarè colligitur ex cap. à nobis 28. h. 1. & hinc prout ex ipso cap. hoc patet, post mortem etiam absolutio (saltem indirectè) à censuris potest illi dari, & debet, si de ipsius viventis pœnitentiâ per evidentia signa constiterit, ut Ecclesiæ scilicet suffragiis, & sepulturâ Ecclesiasticâ gaudeat; & hæredes illius satisfacere pro anima illius debent de jure Canonico, etiamsi nihil ex delicto ad eos pervenerit, cum enim vivens ille pœnituerit, & quantum in se fuerit, satisfecerit, aut satisfieri voluerit, consequenter voluntatem hanc exequi debent illi, ad quos bona defuncti hujus pervenerunt.

§. VII.

*Quando excommunicatus habendus sit pro absoluto ab excommunicatione, vel non?*

**E**X hoc solo capite, quòd quis à suo Episcopo excommunicatus ad Romanam curiam accesserit, non debet haberi

00000

haberi



haberi absolutus, etiam si hoc asserat, nisi literas suæ absolutionis ostendat *cap. sicut 39. h. t.* cum nunquam debeat præsumi absolutus, qui semel excommunicatus est, nisi absolutionem probet, ad Ecclesiasticam disciplinam conservandam: sed nec absolutus ab excommunicatione Papali ceteri debet, quem datis ad eum literis, salutat postea Pontifex, aut cui benedictionem Apostolicam impertit *cap. si aliquando 41. h. t.* cum hæc saluatio vel per ignorantiam, vel per negligentiam, vel per nimiam occupationem, aut subreptionem, ut ait Pontifex, contigisse potuerit. Si tamen scienter Pontifex cum excommunicato, verbo vel salute, vel alio quovis modo &c. communicet & exprimat, quod per hæc eum pro absoluto habere velit, absolutus haberi debet, uti colligitur ex *Clement. si summus 4. h. t.* & expressa verba probant.

## S E C T I O VI.

*Alia nonnullæ questiones circa excommunicationem aliâque censuras proponuntur & exponuntur.*

**P**leraque, quæ in pluribus hujus sectionis §§. quærentur, vel alibi explicata jam fuerunt, vel intelligi satis poterunt ex alibi dictis. Videantur etiam *cap. 6. 12. & 14. h. t. in 6.*

## S E C T I O VII.

*De secunda censura Ecclesiastica nempe suspensione.*

## §. I.

*Quid & quotuplex sit suspensio Ecclesiastica*

**S**uspensio proprie dicta, est censura per quam persona Ecclesiastica privatur usu seu exercitio ordinis, officii, aut beneficii Ecclesiastici, quod ipsi competit ratione alicujus potestatis Ecclesiasticæ; dividitur communiter in totalem & partialem, illa suspendit simpliciter ab officio, beneficio, & ordine; hæc suspendit, vel ab ordine tantum, ita ut prohibeatur omne exercitium, aut certum tantum exercitium ordinis, vel à beneficio tantum, simpliciter tantum, aut à certo tantum, aut à certa parte beneficii, per quam prohibetur totum beneficii, aut parte illius beneficii; vel denique ab officio sive administratione, aut jurisdictione, per quam solent prohiberi officij, jurisdictionis, vel administrationis, quam habet, exercitium, quoad totum (quam aliqui suspensionem secundum quid totalem dicunt, prout illæ etiam suspensiones dicuntur, quæ à toto beneficio, & ab omni ordine suspendunt) vel quoad partem, quæ proprie



proprie partialis suspensio dicitur. Dividitur secundò in perpetuam, quæ non tollitur nisi per absolutionem, & proprie censura dicitur, ac in temporalem, quæ fertur ad certum tempus, & elapso tempore tali cessat, ac potius pœnæ, quàm censuræ rationem habet: in eam, quæ à jure fertur, & in eam, quæ fertur ab homine &c. de qua divisione jam constat.

Patet autem ex modò dictis, confundendas non esse suspensiones has, cum possit aliquis suspensus esse ab officio, qui tamen nec ab ordine, nec à beneficio suspensus est, & possit suspensus ab officio non tantum in temporalibus adhuc administrare, sed facta etiam beneficij collatio, quamvis illicita sit, & irritanda, sit tamen valida, prout colligitur ex *cap. ult. de Cler. Excomm.* sicuti privandus est beneficij titulo, qui ob grave delictum perpetuò suspensus est, cum beneficium detur propter officium.

§. II.

*Quis possit censuram suspensionis ferre, & in quos, & ob quam causam, & quis ab illa possit absolvi?*

**O**mnis, & solus ille, qui potest excommunicare, potest etiam suspendere, cum una eademque potestas sit ad ferendam quamlibet censuram, ita tamen, ut etiam ad suspensionis censuram ferendam, si ob peccatum præteritum aut futurum feratur à iudice, ad frangendam vel impediendam rei contumaciam, prævia monitio necessaria

sit, ut dictum de excommunicatione.

Possunt autem hac censurâ suspensionis ligari, omnes & soli Clerici præter Papam, cum hi soli capaces sint Ecclesiasticæ potestatis, & consequenter usui illius potestatis, vel simpliciter, vel quoad partem privati possint, non tantum singuli, sed totum etiam Clericorum Capitulum, & probabiliter etiam Abbatissæ, cum sint jurisdictionis spiritualis, saltem ex commissione, capaces: & quamvis Episcopi etiam suspendi possint; ex privilegio tamen sibi, ad cavenda multa Ecclesiæ incommoda, concessio, non comprehenduntur sub generali suspensionis à jure latæ sententia, nisi specialiter exprimentur *cap. quia periculosum 4. b. t. in 6.*

Non incurritur autem suspensio, sive censura ea proprie dicta sit, sive pœna tantum, nisi ob propriam culpam, eamque mortalem, cum tales pœnæ debeant esse commensuratae culpis, & contumaciæ, nisi sit levis tantum ad breve tempus, unius v. g. diei, vel ab uno tantum actu, ab una v. g. Missæ celebratione &c. suspensio, quæ etiam propter levem culpam imponi potest.

Tollitur autem suspensio primò per lapsum temporis, ad quem illa ut pœna, ob delictum præteritum, imposta est, vel impletâ conditione, sub qua imposta est. Secundò tollitur suspensio, quæ proprie censura est ad frangendam contumaciam imposta, per absolutionem, si suspensus à contumacia cessaverit, quam impertiri potest quilibet, Episcopalem jurisdictionem aut privilegium habens, si non sit specialiter Sedi Apostolicæ



licz reservata, & juxta Trident. sess. 24. cap. 6. de reform. quilibet Episcopus, si ex delicto occulto orta sit.

## §. III.

*Alia nonnulla questiones circa suspensionem resolvuntur?*

**P**rimò ex cap. 1. h. r. in 6. habetur, quòd graviter peccet, qui actum exercet, à quo suspensus est (si tamen materia gravis sit) & incurrat irregularitatem, si actum ordinis exercent, à quo suspensus est, ut dictum supra. Secundò latis certum est, quòd actus ordinis, si quis ab ordine suspensus eos exercent, sint validi, exceptis illis, qui ad sui valorem jurisdictionem requirunt, uti est Sacramentalis absolutio, cum valorem illorum actuum impedire non possit Ecclesia, si requisita omnia, debito modo ponantur. Tertio non est prohibita cum suspensio, etiam denunciatio, communicatio, cum nullum jus habeatur talem communicationem prohibens, sicuti de vitandis excommunicationis denuntiatis habetur, nisi suspensum inducas ad agendum contra suspensionem, quòd jus naturale, & divinum, cooperationem ad peccatum prohibens, prohibet. Quarto qui suspensi sunt ab ingressu Ecclesie (de qua suspensione, quæ non est propriè censura, & rectius interdictum, quàm suspensio diceretur, agit capit. is. cui 20. h. r. in 6.) privati sunt omni participatione divinorum in Ecclesia, ita ut talia exercere non possint in Ecclesia, quamvis pleraque pos-

sint extra Ecclesiam, & multa etiam possint in Ecclesia privatim peragere, à tempore, quo celebrantur etiam divini transire possint per Ecclesiam. Quòd denique suspensus ab ordine, officio, jurisdictione in uno loco, vitæ exercitio, vel usu horum, à quo suspensus est, ubique suspensus esse non absolvatur, cum censura, quæ ab ipso comitetur.

## SECTIO VIII.

*De tertia Censura Ecclesiastica, nempe de interdicto.*

## §. I.

*Quid & quotuplex sit interdictum.*

**I**nterdictum est Censura Ecclesiastica per quam prohibetur participatio eorum Sacramentorum, communio divinorum officiorum, & Ecclesiastica sepultura, quatenus hæc omnia ad divinum cultum spectant; quæ aliter verba definitioni addi possunt, ut citius distinguatur interdictum ab aliis censuris, cum interdictum privet hæc rebus sacris, quatenus loca sancta, & communicatio verò illis privet, ut habent communicationis cum fidelibus rationem, suspensio verò hæc privet, quatenus sunt actus potestatis, ministerij Ecclesiastici. Dividitur interdictum primò in locale & perso-



§. II.

*Quanam sub interdicto generaliter promulgato comprehendantur, vel non?*

nale, locale est cum immediate ipse locus interdicto supponitur, ne functiones sacrae tempore interdicti prohibita in illo fiant: Personale interdictum est, quo immediate ipsis personis prohibetur ne haec talia agant, & functiones sacras, per interdictum prohibitas, nec hic, nec alibi exercent. Utrumque subdividi potest primo in generale, & speciale: generale est, quo interdicitur locus generalis, plura alia loca complectens, uti est Regnum v.g. Provincia, Civitas &c. Speciale est, quo locus unus particularis, una v.g. certa Ecclesia, aut persona certa particularis interdicitur, ita, ut quando interdictum generale in Civitatem ponitur, neque inter Civitatem, neque in ipsis suburbiis liceat divina celebrare (ne vilipendatur interdictum) licet in alijs Civitatis ejusdem Ecclesijs, si una tantum particularis interdicta sit, divina celebrari possint; & quando interdictum generale in totam communitatem, prout fieri potest, fertur, innocentes etiam sub illo interdicto per accidens pati debeant, quatenus sunt pars, interdictae communitatis &c. ne scilicet nervus Ecclesiasticae disciplinae facile dissolvatur. Secundo subdividi utrumque potest, in totale, quod omnes effectus interdicti habet, & in partiale, quod non omnes effectus interdicti habet, sed certum tantum aliquem, privationem v. g. divinorum, vel privationem sepulturae sacrae &c.

☞ ( 050 )

§. III.

*Quanam observanda sint circa administrationem, & susceptionem Sacramentorum, qua interdicti tempore est prohibita?*

**I**n cap. alma mater 24. h. t. in 6. ad praevenda multa pericula, & incommoda, quae facile orientur, si nulla Sacramenta administrari, aut nulla divina officia celebrari possent interdicti tempore, statuit Bonifacius VIII. Pontifex. Primo ut interdicti tempore, omnes ad Sacramentum poenitentiae admittantur (ob pronitatem scilicet peccantium, & ad plures lapsus praevendos) nisi sint excommunicati, vel per suam malitiam interdicti causam, aut cooperando

000 00 3

rando



rando auxilium dederint, quos sine cautione saltem datâ de satisfaciendo non vult admittere. Secundò statuit, quòd possint etiam interdicti tempore Missæ, & alia divina celebrari ( ab illis scilicet, qui interdicti non sunt ) singulis diebus, submissâ tamen voce, januis clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis, & non pulsatis campanis &c. in festiuitatibus verò Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, ac Assumptione Beat. Virginis, divina celebrari permittit solemniter, januis apertis, organis pulsatis, aliâ voce, exclusis quidem excommunicatis, non tamen interdictis, ob singularem dictarum solemnitatum reverentiam, ita tamen ut illi, propter quorum delictam interdictum latum fuit, alrari nullatenus appropinquent. Tertio statuitur in *cap. quoniam 19. b. t. in 6.* quòd licet ( ob periculum moræ ) etiam confert possit tempore interdicti, solemniter Baptismus & Confirmatio, pueris & adultis, ac licet confici suo tempore possit Chryisma & in *cap. responsio 43. b. t.* asserit Innocentius III. quòd coram interdictis liceat Verbum Dei prædicare, & ad emendationem eos iuducere, convocando etiam populum ( saltem semel in hebdomade ) ad Ecclesiam aliquam, si ita expedire videatur ( quia prædicare non est actus sacri ordinis ) modò nullum divinum officium coram eis celebretur. Quarto conceditur in *cap. quod in te 11. de penitenti. & Remiss.* usus Eucharistiæ per modum viatici ( si probabile sit mortis periculum, sive sit tale periculum ratione infirmitatis, sive ex alia causa, deportando illud cum lumine, campanulâ,

comitatu fidelium; sicut enim interdicti tempore, non negat Ecclesia vicium moribundis, ita nec cultum debet SS. Eucharistiæ tollit. Quintò conceditur etiam in interdicto cum loci quàm personali matrimonium contrahere, etiam inter personas interdictas quia prohibentur tantum interdicti tempore, quæ sunt omnino spiritualis, & actus ordinum, quæle non est matrimonium, quod usulium participat de contractu merè naturali & politico, ut debet interdicti tempore potissimum prohiberi sit circa Sacramentum extreme unctionis, quòd juxta *citat. cap. quod in urbe* licet confectis moribundis ( cum non sit tanta illius necessitas ) & circa Sacramenta ordinum, quæ nec ipsa interdicti tempore confert possunt, nisi urgeat magna necessitas, in casu magnæ penitentiæ legitimorum ministrorum Ecclesiæ, quavis hæc ipsa nonnunquam & plura specialibus privilegijs concessa sint aliquibus de quibus specialia pariter consulenda.

## §. IV.

*Qua observanda sint circa celebrationem divinorum officiorum, & in quibus quatenus ea prohibita tempore interdicti, vel concessa*

EX priore § jam patet, quatenus prohibita, vel concessa sit temporis interdicti divinorum officiorum celebratio, ac auditio, & quæ observanda sint ita ut debeant etiam Missæ, & divina officia, prout conceditur, celebrare beneficarij, si velint gaudere quotidianis distributionibus juxta *citat. cap. Alma 1. ubi*



adiicimus. Divinorum autem officiorum nomine, quæ tempore interdicti prohibita sunt, non tantum intelligitur Missæ celebratio, publica oratio ab Ecclesia instituta, sed omnes etiam sacræ publicæ benedictiones, quæ nomine & autoritate Ecclesiæ, à ministris Ecclesiæ fiunt.

§. V.

De privatione sepulture Ecclesiastica tempore interdicti?

**E**X cap. quod in te II. §. licet autem de panis. & remiss. habemus, quod interdicti localis generalis tempore prohibeantur fideles in loco sacro interdicto sepeliri, exceptis illis personis Ecclesiasticis, quæ specialiter interdictæ non sunt, & tamen servaverunt locale interdictum, quibus conceditur, ut possint etiam interdicti talis tempore in loco sacro quidem, sed interdicto, sepeliri, sine pulsatione tamen campanarum, & absque alia solemnitate, nisi fiat sepultura in quatuor supra enumeratis festivitibus, in quibus solemnitates permittuntur, quin imò omnes tam laici quam clerici, qui specialiter interdicti non sunt, neque culpam suam causam interdicti dederunt, vel si personaliter interdicti sint, denuntiati tamen non fuerunt, nec impanitentes mortui sunt, possunt in quocunque loco sacro, non interdicto, sepeliri, quam vis parochiani sint Ecclesiæ specialiter interdictæ, cum in tali casu non fiat interdictæ personæ secundum se, sed tantum respectu loci serti, in hoc vero casu non sint vitan-

di, aut communicatione fidelium exclusi.

§. VI.

De violatione interdicti, & pænis iure decretis in violantes?

**I**nterdictum personale violant Clerici personaliter interdicti, si actus proprios sui ordinis, à cuius exercitio interdicti sunt, exerceant, & uti dictum, incurrunt in tali casu irregularitatem, si inter sint divinis, vel percipiant Sacramenta prohibita, si permittat alios personaliter interdictos divinis interesse, aut ea celebrare &c. Locale vero interdictum violant, si celebrent divina, non observatâ moderatione cap. alma si permittant alios divina celebrare in loco interdicto, cuius regimen illis commissum est &c. nisi specialia privilegia plus illis concedant.

De pænis, quas incurrunt, laici etiam, qui vel ipsi violant interdictum, vel cogunt violare, & de pænis quas incurrunt religiosi violantes interdictum, vide Clement. 1. 2. & 3. has enim pænas circa hanc materiam rari usus, multum moderantur concessa variis, religiosi præsertim, privilegia.

§. VII.

De causis interdicti, & relaxatione ejusdem?

**F**erre potest interdictum in personas, aut locum sibi subiectum, qui excommunicare potest propter delictum grave, quod est totius communitatis, quas



quæ interdicitur, vel Principis, aut Magistratus, qui in tali loco aut temporalem, aut spiritualem jurisdictionem exercet, & suâ malitiâ totam communitatem inficit. *cap. non est 11. de sponsalibus cap. si sententia 16. h. t. in 6. cap. sanè 21. de officio deleg.* Tollitur autem vel relaxatur interdictum, Primò quidem elapso tempore, ad quod positum est interdictum, vel positâ conditione, quam urget interdictum, ita ut ab Episcopo relaxari illud prius non possit per dispensationem, nisi interdictum proveniret ex delicto occulto, vel quod non esset ad forum contentiosum reductum, vel non esset specialiter reservatum, vel plus alicui concessum esset, per speciale privilegium &c. vide *Auth. Method.* hoc §.

## §. VIII.

*Proponuntur extravagantes constitutiones hujus tituli?*

Videat harum expositiones, qui earum notitiam, paràm necessariam, habere cupit apud *Auth. Method.* hoc §.

## §. IX.

*De cessatione à divinis, quid & quomplex sit, & quomodo differat ab interdicto?*

Cessatio à divinis, est Ecclesiastica prohibitio, ob quam Clerici cessare debent, in certo loco à celebratione divinorum officiorum, & Sacramentorum administratione, nisi in quantum

necessitas postulat. Duplex autem hæc cessatio, generalis alia, alia particularis, eâ prope ratione, quâ de interdicto locuti fuimus. Differt tamen à interdicto locali, Primò quod cessatio hæc nec pœna sit propriè dicta, nec censura, sed nuda prohibitio in lignum gravissimi doloris, ex iniqua divina honoris læsione posita. Secundo quod cessatio nullam in specie personam afficit, sicuti interdictum, quod respectu eorum, qui causam interdicti locali dederunt, interdictum personale dicitur. Tertiò quod violans cessationem, graviter quidem peccet, non incurrit tamen irregularitatem, sicuti incurrit, qui violat interdicti censuram. Quarta quod privilegia concessa circa interdictum extant, non debeant ad cessationem à divinis, cum à diversis ad diversa non sint lata, & quinto denique quod tempore cessationis à divinis, concessa tamen mereant omnibus sepultura sacra, modo hæc fiat sine officiis funebribus, quæ cessationis tempore prohibita sunt: qui autem interdictum in locum aliquem ponere possunt, possunt etiam, ob delictum tamen gravissimum, cessationem à divinis ponere, ita ut violans talem cessationem ipso facto sine excommunicationi, juxta *Clement. 1. §. in eo quod dicitur* verò generalibus h. t.

¶



Quæ in sequentibus duobus titulis, tam antiquis, quam in 6. habentur de Verb. signif. & de reg. Juris, omisit Author Method. explicare, eò quòd putaret, hæc omnia cum ex Corpore Juris desumpta essent, ex variis titulis & cap. in variis Decretalium libris explicatis, satis intelligi posse, vel certè ea, quæ in sequente tit. de V. S. dicuntur, & explicantur, reatissimè peti posse ex variis juris Lexicis & vocabulariis, quo etiam nos lectorem remittimus. Quæ verò in ultimo tit. de reg. juris, tam in antiquis, quam in 6. habentur, placuit hic breviter

annectere, ut regulæ illæ, quæ plurimum sæpe jurium summam continent, ab illis, qui Corpus juris Canonici non habent, hæc tamen succincta SS. Canonum doctrina non displicet, non ignorentur, (non quidem quasi omnes regulæ juris sint afferendæ, quæ toto Corpore juris sparsæ innumerae propè sunt, sed quòd potiores sint afferendæ, prout sub hoc titulo continentur) & simul ex Glossa ostendere, unde regula talis desumpta sit, & petenda fustior illius explicatio Sit ergo

## TITVLVS XLI.

## DE REGULIS IURIS.

## SECTIO I.

*De regulis Iuris in antiquis.*

Regula Iuris reatè describitur, quòd sit brevis juriarum narratio, ex variis juriibus sæpe desumpta, compl. & ens plures casus, in quibus eadem ratio, convenientia identitatis, aut paritatis, &c. repetitur, ita tamen, ut si in aliquo vitetur (quoad identitatem scilicet, convenientiam, aut paritatem, vel si in jure, quoad aliquem casum expressè statutum fuit aliquid contrarium tali regulæ) talis regula pro tali casu nihil probet; & hinc nulla etiam juris regula sine exceptione universaliter probat, & plerèq; in multis sæpe fallant, uti videre licet apud Glossã, & passim apud AA. Sunt autem juris regulæ aliæ in antiquis, aliæ in 6. De illis sit.

**P**rima est: *Omnia res per quas cunque causas nascitur, & per easdem dissolvitur.*

Desumpta dicitur hæc regula ex S. Chrysost. in cap. 52. operis imperfecti in Math. Locum vel maximè habet in contractibus & talibus obligationibus merè temporalibus, quæ ex positiva tantùm humani juris constitutione vim suam habent. Fallit tamen in matrimonio ex jure divino indissolubili, & in aliis pluribus. &c.

*Compend. Pirbing.*

PPP PP

H. Essee



II. *Estote misericordes, sicut Pater vester caelestis misericors est, nolite iudicare, & non iudicabimini.*

Hoc loco nihil aliud præcepti existimo, ait Beda lib. 2. in *Lucam, cap. 34.* nisi, ut ea facta, circa quæ dubium est, quo animo facta sint, in meliorem partem interpretemur; quod enim scriptum est, ex operibus cognoscetis eos, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, ut stuprum, blasphemia, furta, ebrietates, de quibus nobis permittitur iudicare.

III. *Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.*

Ita ut hæc regula ex Beda vel S. Hieronimo desumpta, aliud non dicat, quam quoddam propter scandalum prætermittendum sit quidem omne, quod prætermitti potest, modò salva maneat triplex veritas; bonæ vitæ scilicet veritas, quæ ad quemlibet pertinet; veritas iustitiæ, quæ ad iudicem spectat; ac veritas disciplinæ, quæ ad Prælatum pertinet; rectius tamen advertunt alii, in his etiam scandalum nonnunquam permitti posse, si nihil patiat hęc triplex veritas, in quantum est de necessitate salutis, ita ut in rebus consilii tantum, aut majoris perfectionis, &c. suas exceptiones hæc regula patiat.

IV. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.*

Intellige, si tantum illicita talia sint, ex lege positiva, sive divina illa sit, sive humana tantum; nam ut ait Vener. Beda,

ex quo hæc etiam regula desumpta est, & Sabbatum custodiri præceptum est, (jure divino positivo) Machabæi tantæ sine culpa sua in Sabbato pagabant; sic etiam hodie, si quis jejunium fregit (quod jure Ecclesiastico positivo præceptum est) ægrotus, seu voti (vel præcepti transgressi) non habebitur, si non ex lege divina naturali illicita sint, & prohibita, quia mala sunt, prout est hæresis, adulterium, &c. nullo caso licita fieri possunt.

V. *Quod latenter, aut per vim, aut aliâ illicitè introductum est, nullâ debet stabilitate subsistere.*

Ita Gregorius VII. cum quoddam suspecta sint de malo, quæ clam & latebant, tum quoddam per vim, & metum gravem facta, vel ipso jure nulla sint, vel revocari debant, juxta Tit. 40. Lib. 1. *Beatorum. De his, que vi metusve causæ est.*

VI. *In ipso causa initio non est à questionibus inchoandum.*

Per tormenta scilicet veritatem inquirendo, quod hæc regula prohibens voluit Gregorius VII. cum tormenta, sive tortura adhiberi non debeant ad veritatis indagacionem, nisi in subsidium, quod aliter veritas adhiberi non possit, & quod semiplena probatio præcesserit. De qua re videantur, qui de iudiciis criminali agunt.

VII. *Quidquid in sacris Deo rebus, & Episcopis iniuste agitur, pro sacrilegio reputatur, quia sacra sunt, & à quoquam violari non debent.*



Ut adeo duæ species sacrilegii habeantur, juxta Stephanum I. Pontificem, qui hanc regulam posuit, una scilicet in rebus Deo sacratis, altera in personis Deo consecratis, quibus exhibita irreverentia sacrilegium dici potest.

VIII. *Qui ex timore facit præceptum, aliter facit, quam debeat, & ideo jam non facit.*

Intelligendo scilicet regulam hanc à Sancto Augustino traditam de timore servili, qui facit, quod præceptum est, non amore justitiæ, quam positivè excludit, sed timore tantum pœnæ, à qua sola hîc & nunc movetur.

IX. *Defleat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus.*

Non quidem, quasi in quovis peccato contineretur omnium peccatorum malitia, quatenus peccatum conversio est ad creaturam, sed quod ratione aversionis à Deo eundem substantialiter reatum incurrat per unum peccatum commissum peccator, quod incurrit de omnibus reus (quoad substantiam scilicet, non autem quoad intentionem) reatum scilicet pœnæ æternæ.

X. *Non enim potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit.*

Ita loquitur Gregorius in *regist. l. 2. Epist. 52. cap. 91.* neque enim excusat ignorantia, ut ait Panormitanus in hanc regulam, quando quis tenetur diligenter inagare, custodire, & præcavere.

XI. *Indignum est, & à Romana Ecclesia consuetudine alie-*

*num, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.*

Quod enim strictè dictam homagium est, prout de eo loquitur hæc regula, magis ex consuetudine Ecclesiæ, quam ex scripto jure desumpta, in temporalibus tantum locum habet; ac illum, qui homagium alteri præstat, ejus vassallum facit, ad temporalia obsequia præstanda, nonnunquam obligatum, qualia obsequia pro spiritualibus præstare, Simoniacum esset; & hinc multa differentia est inter juramentum fidelitatis, ac obedientiæ, quod his Episcopis v.g. & Prælatiis, tanquam Patribus, præstant Clerici.

## SECTIO II.

### De Regulis Iuris in Sexto.

I. **B**eneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Canonica institutione obtineri.

In titulum scilicet, quin per Canonice electionem, postulationem, collationem, præsentationem, propriè dictam institutionem, aut aliam legitimam provisionem, eum acquisiverit, nisi triennalis, bonæ fidei, quieta, pacifica, ac continuata possessio per regulam Cancellariæ juvet aliquam, ubi Pontifex penitus tollit, & extinguit lites super talibus beneficiis taliter possessis post triennium motas, si non fuerit eorum acquisitio Simoniaca, vel intrusi non fuerint beneficiati. Videantur *Tit. De postulatione Prælat. De electione. De præbendis, & dignit. De institutione. De concessione præbend. &c.*



**II. Possessor mala fidei ullo tempore non prescribit.**

Ita ut ille, qui conscientiam certam habet, rem illam, quam possidet, & sibi prescribere vult, alienam esse, nec longissimi temporis prescriptione juvetur, contrariam legem Civilem corrigente jure Canonico, ob animæ periculum, videatur *Titulus De prescript. in utroque jure.*

**III. Sine possessione prescriptio non procedit.**

Sine possessione, vel quasi possessione, juris scilicet, à jure adminiculum habente (ita ut prescribens sit capax possessionis, quomodo capax non est Laicus, jura spiritualia possidendi) civiliter non interrupta, per se, vel per alios suo nomine possidentes, debito tempore continuata. Videantur jura pro priore regula citata, ex quibus tam prior, quam hæc regula desumpta fuit.

**IV. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.**

Verba sunt S. August. *causa 14. quest. 6. can. 1.* relata: quæ regula non tantum de remissione peccati quoad Deum intelligi debet, quod ea scilicet non fiat, nisi restituatur ablatum, si restituendi facultatem quis habeat, vel nisi serium propositum habeat, de re tali restituenda, ubi poterit, nisi restitutio remissa fuerit; neque tantum intelligi debet de furto, aut violenta ablatione, sed de quovis damno injustè dato, & quod potissimum hujus loci est, de vitio etiam reali, quo afficitur res furto ablata, ita ut res tales furto ablatæ prescribi non possint, nisi per restitutionem domino

factam, vitium fuerit purgatum. Videtur etiam *cap. Cum in. 5. de usuris, & cap. Quamquam. 2. eodem in 6.*

**V. Peccati venia non datur, nisi correcto.**

Sumitur hæc regula ex *can. 2. Gelasii Pontificis caus. 24. q. 2.* & intelligitur de venia culpæ, & æternæ pœnæ; quod hæc scilicet non concedatur, nisi correcto; non autem de pœna temporali tantum, quod hujus scilicet venia non datur, nisi correcto, cum sæpius venia temporalis talis pœnæ in hac vita subeunda, etiam non correcto (ad scandalum vitandum, aut ex alia causa) concedatur.

**VI. Nemo potest ad impossibile obligari.**

Sive juris, sive facti, sive nature impossibilitate, impossibile sit, ita ut talium promissio, nullam secum trahat obligationem, etiam si juramentum illi accesserit, cum illud quod nec est, nec esse potest, dari aut fieri non possit, ad quod tamen tendit obligatio: videatur *l. impossibile 185. ff. de reg. juris, & l. inter stipulantem S. Sacram 183. ff. de verb. obl.*

**VII. Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.**

Privilegium scilicet, quod immediate personæ concessum est, & cujus proxima causa est persona: sumitur autem hæc regula ex *cap. 2. de amb. & usu pallij*, ubi respondet Pontifex, non debere Archiepiscopum successori suo, aut alteri Metropolitanano suum à Pontifice sibi concessum



cessam pallium commodare aut relinquere, sed cum eo esse sepeliendum, cum pallium (velut personale privilegium) à persona in personam non transeat: & ex multis legibus Civilis iuris, ubi hæres mariti, patris, matris, patroni, &c. non gaudet iisdem privilegiis, quibus pater, patronus, miles, aut maritus, &c. gaudet; quod idem sæpe statuitur circa rescripta personalia, circa personalia pacta, personales transactiones, &c. quæ saltem cum personis extinguuntur, licet etiam alia quædam dicantur in *Tit. De privileg. rescriptis. De pallio. De transact.* &c.

VIII. *Semel malus, semper præsumitur malus.*

Præsumptionibus niti hanc regulam, patet, quæ cum sæpe fallant, & veritati cedant præsumptiones, sæpe etiam in foro externo fallitur, qui temerè in quolibet casu hac regulâ utitur: desumpta est hæc tamen regula ex *caus. 22. q. 5. can. Parvuli. 14.* & pluribus aliis iuribus, ubi non admittitur in testem, qui semel falsum deponendo pejeravit.

IX. *Ratum quis habere non potest, quod ipse nomine non est gestum.*

Prout habetur, & dicitur in *cap. Cum quis 23. de sentent. Excommun. in 6.* ubi dicitur ille, excommunicationem canonis non incurere, qui percussione Clerici sui iocivici, ab alio, non tamen nomine illius factam, postmodum multum laudavit, in illa sibi complacuit, & eam probavit, cum non possim, ut ait Pontifex, ratum (proprie loquendo) habere id, quod meo nomine gestum

non est, & jura, quæ contraria afferuntur, non tam de ratihabitione, quam de nova concessione, vel nova consensu intelligi debent.

X. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato equiparari, non est dubium.*

Si, quod ratum habeo, nomine meo gestum est, ut ne videatur hæc regula priori contradicere; ut taceam alias, quas multas patitur exceptiones; & hinc inde in variis iuribus videri possunt, ex quibus habetur, quod potissimum locum hæc regula habeat, in materia iudiciorum *cap. ult. de iure iurand. in 6. Et licet 56. ff. de iudiciis.* ubi per procuratorem agitur, & in maleficiis, quæ per alium fieri possunt, *cap. Cum quis. 23. de sentent. excommun. in 6.* in materia contractuum &c.

XI. *Cum sint partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.*

In decisione scilicet causæ (quia in principio litis favetur actori, cui conceditur verba ambigua in suo libello posita interpretari) juxta *cap. Inter dilectos 6. de fide instrument. ad finem, &c.* nisi actor foveat favorabilem causam matrimonii, libertatis, testamenti, dotis, &c. ubi favendum est actori, juxta *can. Si quis accepit. 3. caus. 23. q. 1. Et cap. Ex iuris. 3. de probation.*

XII. *In iudiciis non est acceptio personarum habenda.*

Sive coram iudice ordinario, sive coram delegato litigetur, ita ut personæ in dignitate, vel officio constitutæ,



amico vel inimico &c. favore personæ non debeat deferre iudex à justitia recedendo, vel saltem à modo procedendi in iudicio cap. novit. 13. de iudiciis. & cap. statum 11. §. insuper de rescript. in 6. in aliis tamen, ut in assurgendo, sedendo &c. & pœnis etiam imponendis, sæpius & rectè defertur dignitati & personæ cap. ult. de transact. Et argum. cap. sum quidam 12. de iurejurand. can. non oportet 15. dist. 93.

XIII. Ignorantia facti, non iuris excusat.

Sic juxta glossam in hanc regulam ex can. si sacerdotes caus. 16. q. 3. habetur, sacerdotibus successoribus in monasterio S. Cypriani &c. concedi posse, quod possint Ecclesiam suo monasterio donatam, à Laico, sine Episcopi auctoritate, & consensu Capituli præscribere, cum tamen Prælati, qui donationem talem accepit, præscribere non possit, eò quòd hic juris ignorantiam habuerit, requirente scilicet jure, ut legitima sit Ecclesiæ alicujus donatio à Laico facta, auctoritatem Episcopi, & consensum Capituli; successores verò in facto tantum erraverint, scientes, nullam esse donationem talem à Laico factam, si sine consensu Episcopi, & Capituli fiat, rati tamen, eum intervenisse, prout ex pluribus, etiam aliis titulis patet, ex quibus hæc regula desumpta est; Consule Glossam, si plura velis.

XIV. Cum quis in jus alterius succedit, justam ignorantiam causam censetur habere.

Si cum ipso successore agatur, non

autem si ipse agat, cum ille, qui ad iudicium provocat, certus debeat esse de facto suo; & idèò deliberatori dicitur reo, non autem actori: intelligi tamen debet hæc regula de ignorantia facti, prout colligitur ex variis junctis, et quibus hæc regula desumpta est. can. si sacerdotes. 10. caus. 16. q. 2. cap. una 11. de jure Patronatus.

XV. Odia restringi, & favores convenit ampliari.

Juxta cap. tua 25. de decimis, ubi decimæ novialium non accrescant laicis habentibus decimas in feudum; & juxta plura alia, ubi odiosa restringuntur; et juxta cap. licet 11. de privileg. in 6. ubi privilegium favorabile, de celebrando, vel audiendo Missam, interdicti tempore, certæ & singulari cuidam personæ concessum, ad ejus etiam familiares domesticos extenditur &c.

XVI. Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.

Latè lumendo beneficii nomen pro privilegio scilicet, & quidem reali, ut regula hæc contradicere videatur regulæ septimæ, prout & jura indicant, et quibus hæc regula desumpta est. cap. sed si cui 36. de præbend. in 6. ubi gratia de conferendis beneficiis alicui concessa, non dicitur expirare, morte concedentis. Quando autem dicitur mansurum hoc privilegium, intelligitur hoc, etiam si causa finalis concessionis cesset, modo remaneant aliquæ reliquæ, & non aliunde ex delicto v. g. aut propter abolum, vel enorme præjudicium ablatum sit privilegium.

XVII.



**XVII. Indultum à jure beneficium non est alicui auferendum.**

Sic vidua prohiberi non potest, quò minus intra annum luctus post mortem sui mariti, ad secunda vota transire possit, quia à sacris Canonibus, & ab Apostolo hoc illi indulgetur, quidquid contradicat jus civile; sic Clericus ad Ecclesiam parochialem promotus, urgeri non potest promoveri ad sacerdotium, cum à jure sit annus illi concessus, intra quem ordinari debeat *cap. licet Canon. 14. de electione in 6. sic aliz inducitur sapius à jure concessæ ad appellandum, ad deliberandum abbreviari non possunt ab homine (nisi gravis causa urgeat) cum sint à jure concessæ & indultæ; in multis tamen etiam ista regula cessat, & locum non habet.*

**XVIII. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.**

Quod à principio scilicet nullum est ipso jure, tractu solo temporis non convalescit; secus autem si non esset nullum, sed tantum annullandum, ut colligitur ex *cap. bona. 4. de postulat. Prelat. & ex cap. quod sicut 28. de electione &c.* sicut enim tempus solum nec inducendæ obligationis, nec tollendæ modus est, sic nec reparandæ, sed consensu subsequente opus est, interdum tacito, interdum expresso, si causa impedimenti sublata fuerit *cap. 1. de despons. impub. in 6. & Can. Principatus 25. caus. 1. & q. 1. &c.*

**XIX. Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.**

Sic Clericus, aut Monachus, ostendendo fortitudinem suam, aut dexteritatem proijciendo v. g. in ludo cum secularibus lapides, vel sagittas emittendo ad scopum, aut chirurgiam exercendo, casu occidens aliquem, sit irregularis, quia immiscuit se actui, statui tuo non convenienti *can. Clerico. 37. dist. 50. cap. continebatur 2. de homicidio, & cap. Tu nos 39. eodem &c.*

**XX. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.**

Etiam contrariis, uti patet ex *cap. autem dist. 15. de prescript.* ubi duabus exceptionibus, contra actorem Episcopum, reus utitur, quòd sit exemptus à jurisdictione ordinarij, & tanto tempore jus Episcopale possederit, ut legitime prescripserit contra ordinarium (si autem exemptus est, ex speciali Summæ Sedis privilegio, nulla est præsentia præscriptio) & ex *l. Interpositas Cod. de transact.* ubi replicans transactionem præsentiam nullam fuisse asserit, tum quòd metu fuerit extorta, tum quòd ille, cum quo facta fuit transactio, servus transigentis fuerit &c. nisi jura expressè plurimatam talem prohibeant.

**XXI. Quod semel placuit, amplius displicere non potest.**

In judicio scilicet *cap. 1. De judiciis. in casu matrimoniali, can. horrendus caus. 32. q. 5. in juramentis, cap. Quemadmodum 25. de iurejurand. in electionibus cap. Nulli. 8. de elect. in 6. &c.* Fallit tamen hæc regula in pluribus casibus, præsertim, si nova causa supervenerit;



nerit, vel ad notitiam pervenerit, prout pluribus Glossa in hanc regulam ostendit.

**XXII. Non debet aliquis alterius odio praegravari.**

Per *can. Si habes. 1. caus. 24. q. 3.* ubi negatur, quod filius excommunicari debeat, si pater delictum admisit excommunicatione dignum; & per *cap. Si compromissarius 37. de elect. in 6.* ubi Canonici, qui in arbitros certos compromiserunt, non privantur tamen jure eligendi, si arbitri postmodum indignum eligant, &c. quamvis in delictis quibusdam ob delictum v.g. patris etiam filii dignitatibus excidant, quod ipsum in pluribus etiam casibus in jure exprimitur.

**XXIII. Sine culpa, nisi subsit causa, non est puniendus aliquis.**

Est virtualiter duplex regula, primò, quod non debeat aliquis puniri sine culpa, secundò, quod possit quis puniri sine culpa etiam, si causa subsit. Pro prima regulæ parte facit *canon. Satis peruersum 7. dist. 56. & cap. Cognoscentes 2. de constit. & plura alia jura.* Pro secunda parte regulæ, sive exceptione facit *can. Sicutus 11. dist. 34. cap. Tua. 4. de Cler. agrot.*

**XXIV. Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse.**

Ergò, qui in casu aliquo non habet necesse parere, eò quod ad officium illius tale quid non pertineat, doli reus esse potest, prout videtur de illo Laico dicendum, quem excommunicationem incurrisse dicit Pontifex in *cap. Universi-*

*tatis 24. de sentent. excom.* quamvis et mandato Abbatis monachum verberaverit. In casibus tamen, ubi parere necesse est, regulam probat *can. Milo. 1. caus. 23. q. 5. cap. Cum voluntate 14. Si quis verò. de sent. excom.*

**XXV. Mora sua cuiuslibet civis.**

Ut autem quis dicatur morosus, debet scire, quod debeat, vel saltem ab homine, aut die interpellatus fuisse, & solvendi possibilitatem habuisse *L. Quarta ff. De rebus creditis.* & tunc tenetur morosus debitor de casu etiam fortuito, quamvis, ut probabilis sententia affecto, eodem modo res apud dominum pertura fuisset. Videatur *can. Decima. 16. caus. 16. q. 1. cap. univ. De commoda. 10. &c.*

**XXVI. Ea, qua sunt à Iudice, si ad eius non spectet officium, viribus non subsistunt.**

Quamvis bonum sit, id quod facti Iudex, si tamen ad hujus officium non spectet, viribus non subsistit, prout colligitur ex *can. Bene quidem 1. dist. 91.* bonum enim est statuere, quod res Ecclesie alienari non possint, & alia plura, quæ in illo *can.* recenseantur, Laicorum tamen etiam Imperatorum, super hiis rebus statuta nihil valebant, quò ad eorum officium hæc statuere non pertinebat. Caterùm regula illa locum non habet in spiritualibus, quæ potius ex potestate ordinis dependent, quam jura secularia, sic quamvis Episcopus Clericum ab eodem valide ordinare Sacerdotem possit, non potest tamen hac inferior Episcopo, cum ordinari



ordines Sacerdotales conferre, non tam ex officio jurisdictionis, quam ex Ordine dependeat. Vide quæ dicuntur *can. Quorum vices 6. dist. 68. cap. Indulgentia 3. de posit. & remiss. in 6.*

**XXVII. Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus.**

Ita ut hæc duo copulativè requirantur, non tantùm disjunctivè, & si cedere jure suo possit, qui consentit, quamvis per dolum malum circumventus fuerit ad consentiendum, prout pluribus explicant Theologi. Vide etiam *can. Si femina 5. caus. 29. q. 2. &c.*

**XXVIII. Quæ à jure communi exorbitant, ad consequentiam non sunt trahenda.**

Et hinc quamvis Laicis per Ecclesiam concessum sit, ut sint capaces juris spiritualis, patronatûs scilicet, quo facilius ad fundandas, dotandas, & ædificandas Ecclesias inducantur, hoc tamen privilegium à jure communi exorbitans, extendendum non est, ut possint etiam judicare de jure patronatûs *cap. Quanto 3. de judiciis.* & quæ passim in jure civili conceditur fidei jubendi obligatio, fallit in muliere, juxta *leg. v. ad Velleianum, &c.* & quæ singulariter uni concedantur, ad alios, quamvis ejusdem dignitatis, extendi non debent *can. Hinc est etiam 39. caus. 19. q. 1.*

**XXIX. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.**

Ita tamen, ut alia sint, quæ omnes tangunt quidem, ut unius tamen Universitatis membra sunt, & ut Collegium est: alia verò sint, quæ omnes tangunt,

*Compend. Pirhing.*

ut singulares personæ sunt, & ut singuli: in priore casu requiritur, ut singuli illius communitatis consentiant ad decidendum aliquid, sed sufficit, ut major pars communitatis consentiat. In posteriore verò casu omnes & singuli consentire debent. De illo casu loquuntur jura in *tit. de his, quæ sunt à majore parte Capit. & plura alia jura.* De posteriore casu loquitur *c. Cum omnes 6. de consis.* regulariter in talibus casibus, qui plures, uti singulos concernunt, observandum: quamvis sæpius etiam fallat, uti videre est in casu, quo plures arbitri ad unam rem decidendam electi fuerunt, ubi sufficit ad lites abbreviandas majoris partis consensus; in præsentando à pluribus personis, ad Ecclesiam vacantem, quo in casu admittitur præsentatio, quæ à majore patronorum parte facta est, ut ne longiori tempore cum periculo vacent Ecclesiæ.

**XXX. In obscuris minimum est sequendum.**

Non quidem quasi statim, quodd minimum est, attendere debeamus, sed quod verisimilius est, & plerumque fieri consuevit, ita ut primò inspiciamus, quod expressè agitur, vel quod tacitè ratione rei, personæ, vel consuetudinis; & si ex his nihil sciri possit, inspiciamus id, quod minimum est *cap. ex parte 18. de censibus* attendenda tam è etiam nonnunquam est juxta alia jura mediocritas, uti colligitur *ex can. hoc jus 2. caus. 10. q. 2. & cap. 1. de officio Custod.*

**XXXI. Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet.**

Q99 99

Quam-



Quamvis nonnunquam fieri possit, ut ei, qui scit, fieri aliquid, denuntiari debeat, quod fit, non ut sciat, sed ob alios fines, prout fit in causa eversionis, in casu citationis ad electionem, in casu, quo iudicis, quæ talis, officium imploratur, ad cautelam &c. pro regula tamen faciunt *can. ult. dist. undeci. verb. sape dilectionem tuam cap. si duobus 7. de appellat. l. 1. ff. de action. Empt. & vend.*

**XXXII. Non licet auctori, quod reo licitum non existit.**

Sunt enim Rei favorabiles, quam auctores, & ob hoc, quod auctori licet, multo magis reo licet, non tamen contra *cap. prudentiam 2. de mut. peti. auben. offeratur Canonizata can. 3. q. 3.*

**XXXIII. Mutare consilium quis non potest, in alterius detrimentum.**

Quando scilicet ex mutatione voluntatis, vel placiti alteri impedimentum, vel detrimentum affertur. *can. dilectissimi. 2. can. 8. q. 2. cap. publicato 58. de elect. &c.* si tamen ex mutatione tali nullum alteri præjudicium fiat, conceditur illa, sicut & in pluribus aliis casibus.

**XXXIV. Generi per speciem derogatur.**

Hujus regulæ exempla quidem habemus ex *cap. studuisti 2. de offi. legat. ex can. ult. dist. 93.* in privilegiis tamen sæpe hæc regula fallit, ubi sæpe speciale contra generale non obtinet, nisi mentio fiat generalis privilegii cum hujus derogatione; & quamvis negari non possit, locum hanc regulam potissimum habere in rescriptis, siue primum sit generale, & secundum speciale, siue con-

trarium fuerit factum, fallit tamen in nonnunquam in his ipsi rescriptis, ut quod de jure expressa mentio rescripti terius requiratur, vel quod virtute generalis potestatis in rescripto communicata, jam processum sit ad dispensandum, ut equam literas meas speciales petere verim, & cæperim illis ut, vide *cap. distoralis 14. de rescriptis. & Glossam in cap. ex tua 9. de filiis presby. & bene videtur, quæ sub generali nomine veniant.*

**XXXV. Plus semper in se continet, quod est minus.**

Plus quantitatis scilicet (quod est plus est, utique tanti est) non accipitur quod plus qualitate includat, etiam si quod minus est qualitate. Sumitur autem hæc regula ex *can. si quis dederit 4. cap. 24. q. 1. cap. 1. de arbitrii & 8. dist. 1. de servit. quæ autem contra hanc regulam opponuntur, plerumque se alter habent, vi formæ mandati, quod certum quid præscribens, accurate servandum est.*

**XXXVI. Pro possidere habetur, qui dolo desit possidere.**

Quoad damnum sui scilicet, non tenetur quoad commodum, & ut in tantum teneatur, qui dolo desit possidere, in quantum possidens: non tenetur taliter, cum contra possidendum detur actio directa, contra eum tamen qui dolo desit possidere, tantum tenetur. *L. electio §. ult. ff. de nova &c. Quæ tamen actiones cum in subitanea non transferant, L. actio 47. ff. de negot. p. b. ideo in effectu habetur pro possidendo, qui dolo desit possidere, ut regula dicitur.*



cit. vide cap. Ecclesia S. Maria 3. ut luc  
pendente &c.

**XXXVII. Utile non debet per  
inutile vitari**

Prout probatur ex can. si quis de serois.  
57. caus. 12. q. 2. ubi manumisso ser-  
vi bene meriti approbatur, revocatur  
autem id, quod manumisso tali ultra  
manumittens dedit ex cap. dilectus 19. de  
prebend. & digni. ubi factam legati in  
uno approbatur, & confirmatur, non au-  
tem in alio: & ex pluribus aliis iuribus  
apud Glossam relatis, intelligi tamen  
hæc regula non debet universaliter, cum  
in multis casibus à Glossa relatis fallat,  
sed quod regulariter utile per inutile non  
vitietur, si tamen à se invicem utile &  
inutile separari possint, & iura speciale  
quid circa casum aliquem non præscri-  
bant, quod sit contra hanc regulam,  
prout pluribus ostendit Glossa.

**XXXVIII. Ex eo non debet quis  
fructum consequi, quod nifus ex-  
stitit impugnare.**

Et hinc, qui dicit Decretales epistolas  
non esse authenticas, nullam pro se utri-  
liter allegabit, can. si Romanorum 1. dist.  
19. & qui impugnat compositionem, bi-  
neficium ex ea non consequitur cap. olim  
30. de censibus (si tamen in impugnando  
perseveravit) & qui impugnat testa-  
mentum tanquam inofficiosum ex hoc  
nec rem legatam habebit, si succubuit,  
l. Papinianus 8. ff. de inofficof. Testam.  
quam tamen regulam sanè intelligen-  
dam monet Glossa, ob multa in contra-  
rium.

**XXXIX. Cum quid prohibetur,**

**prohibentur omnia, quæ sequun-  
tur ex illo.**

Sic cui prohibita Ecclesiæ commu-  
nio, in qua est stipendiatus, propter  
contumaciam, aut delictum suum, pro-  
hibita censentur etiam stipendia ordina-  
ria, illius Ecclesiæ, cap. Pastoralis de ap-  
pellat. & qui suspensus ab officio, in  
consequentiam à beneficio suspensus  
videtur. can. eos 18. dist. 81.

**XL. Pluralis locutio, duorum  
numero est contenta.**

Sunt tamen plures casus, à Glossa in  
in hanc regulam enumerati, in quibus  
plures, quam duo, sub plurali locutione  
veniunt; regulam tamen etiam illi ca-  
sus probant, in quibus iura duos intelli-  
gi putant sub plurali numero, prout ha-  
betur in cap. is cui 19. de prebend. in  
6. ubi dicitur, quod virtute dispensatio-  
nis, ad plura beneficia obtinenda, si ni-  
hil aliud exprimat, duo obtinere pos-  
sim. & in leg. libertas 8. post annos. de ma-  
numiss. testament. ubi dicitur, quod, cui  
libertas in testamento legata est post an-  
nos, per duos saltem annos expectare de-  
beat &c.

**XLI. Imputari non debet ei,  
per quem non stat, si non faciat,  
quod per eum fuerat faciendum.**

Et scilicet, qui debet appellationem  
prosequi infra annum; qui debet pro-  
moveri ad Sacerdotium infra annum; qui  
rem emit sub pacto legis Commissorie, si  
legitimo impedimento impeditus fuit,  
& consequenter per eum non stetit, quod  
minus suo tempore solveret, quod mi-  
nus intra annum promoveretur, quod

Q 999 9 2

minus



minus intra annum prosequeretur appellationem &c. elidit enim obligationem impossibilitatis, non quidem in perpetuum, cum cessante tali impedimento ad factum præstandum teneatur, sed pro illo tantum impotentiae tempore.

XLII. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.*

Sic cui committitur causa principalis matrimonii dijudicanda, committitur etiam causa dotis velut accessorii, *cap. de prudentia 3. de donationibus inter virum & mulierem &c.* & si principale, contractus v. g. cadit, cadit etiam iuramentum *L. non dubium Cod. de legibus.* si accessorium tantum sit, ad confirmandum præcisè contracti additum; in multis enim casibus, de jure Canonico, ubi iuramentum per se stat, & sine periculo animæ servari potest, sine vi, & dolo præstitum, ac nihil in alterius redundans præjudicium &c. servari debet, etiam si contractus sit nullus, *cap. cum contingat 18 de jure jurand.*

XLIII. *Qui tacet, consentire dicitur.*

In rebus scilicet favorabilibus, prout communiter regulam hanc intelligunt A. A. & hinc regula sequens

XLIV *Is qui tacet, non fateatur, sed nec utique negare videtur.*

Si de casibus odiosis intelligatur, nihil priori contradicit, prout etiam jura probant, ex quibus hæc regula desumpta est, sic in *can. anteriorum 28. caus. 2. q. 6.* non habetur pro consentiente, con-

tra quem lata est sententia, eam posse adhuc inter definitum tempus appellari, sic non habetur pro consentiente Dominus, qui tacet ad rei suæ venditionem ab alio factam, *L. rem alienam 21. de contrahenda Empt. & vendit.* Sic Prætor non habetur pro consentiente, sic sine scandalo contradicere non potest, *cap. nihil prodest. 2. de præscript.* tamen debet hæc regula ut etiam de facto aut signo fateatur, vel contradicat, & nisi à jure expresse habeatur pro consentiente, aut contradicente tamen, quales casus sunt frequentes in jure, in ordine ad contumaciam contrahentis v. g. in ordine ad pœnam incurrendam &c.

XLV. *Inspicimus in obsequio quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.*

Sic contra mulierem post longam matrimonialis cohabitationis temporis, contra matrimonium suum recedentem, & se incognitam esse allegantem, præsumitur quod sit cognita, quia hoc est verosimilius. *per can. si quis accusat ea. 23. q. 1. sic in cap. inter dicitur & in fide instrum.* præsumitur pro legitimitate quæ non pro legitimitate ex modo legitimitate, sic in *caus. non licet parenti. Cod. de inoff. 2. q. 1.* præsumitur injustè exhered. filius, quod non sit verosimile ingratitude in patrem eum commississe.

XLVI. *Is qui in jus successit alterius, eo jure, quo ille, uti debet.*

Nisi privilegio tantum personali



ius fuerit antecessor, quod cum perso-  
na expirat, juxta regulam 7. supra allatam,  
vel pacto tantum personali *cap. nisi 21.  
de prabend.* vel profus alienæ personæ  
essent per rescriptum conveniendæ, *cap.  
B. & G. 40. de off. delegat.* quæ nec ju-  
ris fictione eadem sunt cum expressis:  
sumitur autem hæc regula *ex can. Eleu-  
therius 30. caus. 28. q. 2. cap. Dilecti 17.  
de foro compet. &c.*

**XLVII. Presumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.**

In illis scilicet casibus, in quibus nec  
scire, nec indagare rem aliquam tene-  
tur ignoratam aliquis, neque publicè  
de re aliqua constat, aut juris naturalis  
casus est, in quibus casibus præsumitur  
scientia, nisi ignorantia probetur: pro-  
batur autem ignorantia, vel per jura-  
mentum, vel si probetur, me ignoras-  
se id, ex quo necessariò, vel valde ve-  
rosimiliter sequitur, alterius etiam igno-  
rantia, ita tamen, ut hæc ignorantia fa-  
cilius probetur in facto alieno, quàm in  
facto proprio.

**XLVIII. Locupletari non debet aliquis, cum alterius iniuria, vel iactura.**

Juxta *can. Apostolica caus. 17. q. ult.*  
ubi non dicitur monasterium, cum ja-  
ctura Cathedralis Ecclesiæ, & juxta  
*cap. quid per novale 21. de V. S.* ubi  
dicitur privilegium ita intelligendum, ut  
ne alteri enorme præjudicium profera-  
tur, & juxta *L. naturaliter ff. de condiçt.  
indeb.* ubi pupillus, si mutuum accepit,  
& locupletior inde factus soluit, non re-  
petit. Fallit tamen hæc regula, etiam si  
particula disjunctiva vel idem in ea di-

cat, quod particula collectiva &, ut  
putant multi in præscriptionibus, usuca-  
pionibus, & aliis casibus.

**XLIX. In pœnis est benignior interpretatio faciendæ.**

Sic nonnunquam, ubi privatio ali-  
qua in pœnam imponitur, intelligitur  
tantum privatio esse temporalis, quam-  
diu durat v. g. contumacia, cui pœna ta-  
lis statuitur &c., si nihil aliud de perpe-  
ruiate, aut diutius duratura dicatur,  
*cap. ex literis II. de consti. & nonnun-  
quam, cum quis ob dolum commissum,  
vel ob negligentiam ab administratione  
removeri possit, si in sententia amotio-  
nis nihil exprimat, ob dolum scilicet,  
an ob negligentiam amotus sit, benigni-  
or interpretatio præsumitur, quod  
ob negligentiam scilicet amotus sit, ad  
cavendam infamiam, quam incurreret,  
si rigidius judicaretur, quod ob dolum  
scilicet amotus sit *Argum. leg. hoc enim  
§. 1. ff. de suspect. Tuto, & non præsu-  
mitur, ut calumniator, de quo Judex  
tantum pronuntiavit, quod temerè ac-  
culaverit can. si quem 8. §. notandum  
caus. 2. q. 3. & hinc ex multiplici pœna  
expressa eligimus mitiorem can. 41. si  
quis dederit, causa 24. q. 1. & si ver-  
bum potest importare pœnam perpe-  
tuam & temporalem, eligimus tem-  
poralem can. non oportet 10. caus. 33. q. 4.  
nec in materia pœnarum ad similia ar-  
guimus can. pana. 18. dist. 1. de pœni-  
sent. &c.**

**L. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.**

Illi scilicet actus legitimi, de quibus  
in *L. actus legitimi ff. h. t. emancipatio*

Q 9 9 9 9 3

scilicet



scilicet, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi oprio, tutoris à iudice datio &c. Electio, postulatio, sententia iudicis &c. & hinc per *cap. in electionibus*, 2. *de elect. in 6.* vota conditionalia, alternativa, & incetta in electionibus, postulationibus, & scrutinijs, penitus reprobantur, & per *can. soles quari. 6. caus. 32 q. 2.* matrimonium nullum dicitur, quod ad certam usque diem cum Bertha contractum est, &c. sicuti tamen hæc regula in contrariis locum non habet, sic in multis alijs casibus fallit.

**LI. Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.**

Siligna v. g. Ecclesie destructæ, non possunt ad alium merè profanum adhiberi juxta *can. ligna 38. de consecr. dist. 1.* sic fragmenta ex liceta v. g. calula non possunt adhiberi ad crumenam pecuniariam v. g. *can. vestimenta 42. eodem*, sic calx consecrata non est reddendus domino, qui eam Ecclesie dedit, ad usus civiles & profanos &c. Fallit tamen hæc regula in rebus animatis, quæ dum se consecrari v. g. patiuntur, invito domino, delinquent, & dominis suis restitui debent, uti patet *ex tit. l. 1. Decret. de servis non ordinand.* & sæpe in rebus alijs etiam consecratis inanimatis, saltem contractis, & anisâ consecratione.

**LII. Non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum.**

Nisi in penam sit prohibitum, aliquid propter crimina v. g. quæ impedimentum præstant promovendis, quam-

vis à iure improbentur *can. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.* aut nisi fiat novi operis nuntiatio, quæ five justa sit, five injusta, suum præstat nuntiatio impedimentum, *cap. 1. de novi operis Nuntiat* aut nisi in casu appellationis rescriptorum &c. Falsa causa, aut mediocris intervenerit, quæ quavis nullum de iure sortiantur effectum, suum tamen præstant subinde impedimentum. Probat autem regulam matrimonium nullum, quod non impedit, quominus validum secundum fieri possit, Electio nulla, quæ secundum non impedit, sponsalia nulla, quæ alia sponsalia, & fiant, non impediunt &c.

**LIII. Cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus.**

Sic dicitur in *can. Ecce 6. dist. 1.* licet utique Sacerdoti benedictio simpliciter populum in fine M. se, quod minus est, cum illi, quod plus est concessum sit, conficere Corpora Christi licet, sic in *cap. ex parte 3. de decimis* conceduntur religiosis quibusdam decime novialium, quod minus est, cum illis competant in illo loco usque decimæ, quod plus est; Falsè etiam tamen tam in alijs casibus, quam in alijs regula hæc, cum non semper, quod qualitate, aut quantitate plus est, includat minus, & in casibus specialibus, minus ex causa prohibitum sit, aut forma mandati aliter agere jubeat.

**LV. Qui prior est tempore, posterior est iure.**

Locum habet hæc regula in *cap. 1. de major & obed. in casu subscriptionis, & in casu optionis* &



& executionis præbendæ &c. ubi potior habetur plerumque, & cæteris paribus, qui tempore prior est, nisi consuetudo, aut voluntas constituentis, vel etiam jura, aut privilegia specialia impediant, & aliud ordinent.

**LV. Qui sentit onus, sentire etiam debet & commodum, & e contra.**

Exempla hujus regulæ sumi possunt ex *can. de lapsis 5. caus. 16. q. 6.* ubi monasterio bona clerici ob criminis pœnam in monasterium (juxta jus antiquum) perpetuò detructi, adjudicantur, ut sentiat etiam commodum, in usu bonorum illorum, cum onus sentiat in alendo tali incluso, & *cap. 1. de sepult.* ubi Ecclesiæ parochiali sua portio adjudicatur ex bonis defuncti parochiani, qui alibi sepulturam elegit, ut commodum aliquid habeat ex defuncto parochus, qui vivo debuit Sacramenta ministrare, & ex *cap. significatum 21. de præbendis*, ubi clericus beneficiatus in divinis ministrare debet, & suum servitium præstare Ecclesiæ, de cujus fructibus, & emolumentis vivit &c. Excusat tamen sæpius ab hac regula ratio ætatis, aut personæ, vel materia contractuum, aut speciale pactum, in quibus fallit regula.

**LVI. In re communi potior est conditio prohibentis.**

Sic inter duos conjugatos, uno vivere volente, altero prohibente, potior est causa prohibentis *can. 1. caus. 33. q. 5.* sic uno prohibente, nepro-

cedatur per viam compromissi, potior est ipsius conditio *cap. quia propter 42. de elect.* sic duobus communem habentibus parietem, non potest hic eum destruere altero prohibente, *leg. Parietem ff. de servit. urb. præd.* si tamen hujus interit, eum non destrui, aut favor religionis aliquid aliud jubeat.

**LVII. Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.**

*Cap. in præsentia 8. de probat.* ubi, quod obscurius dictum est, contra dicentem explicatur; & in *l. cum in lege ff. de contrah. Empt. & vend.* ubi contra eum deciditur, qui apertius rem declarare potuit &c. vide Glossam in hanc regulam.

**LVIII. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum.**

Sicut enim non tenet turpe pactum, quod est contra bonos mores, sic nec valet iuramentum accessorium, quod non potest esse vinculum iniquitatis, quale esset, si prohibita (non præcisè in favorem personæ alicujus, cui favori illa cedere potest) propter sui turpitudinem, vi juramenti præstanda essent; sic utique illius iuramentum non valet, qui juravit patrem occidere, vel simile quid facere *can. 1. caus. 22. q. 4.* qui juravit uxorem & liberos expellere *cap. quintavallis 53. de jure jurand.* qui juravit, cum uxore nuquam agere rerum amotarum causa *L. illud convenire 5. ff. de pact. dota.*

**LIX. Do-**



LIX. *Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eidem.*

Sicuti autem hac regula locum non habet in possessionis, in quibus spoliatus rem, qua spoliatus est, petere debet, quamvis in petitorio ad eam restituendam condemnandus sit, ita locum non habet in eo casu, quo peto, quod alij, & non eidem, à quo peto, restituere debeo; commoditarius enim repetitam à fure, quamvis domino restituere tam debeat, & vir soluto matrimonio à focero dotem petat, quamvis eam uxori, & liberis illius restituere debeat: sumitur autem hæc regula ex *caus. 14. q. 4.* ubi censuris prohibetur, petere à debitore usuras, quia onus restitutionis ipsi incumbit &c.

LX. *Non est in mora, qui potest se exceptione legitimâ tueri.*

Si in mora non est dominus, qui servum, se ignorante monachum factum, intra triennium non repetit, legitimâ postmodum urens exceptione, infirmitatis v. g. aut viæ longinquæ *can. si quis incognitus 3. caus. 17. q. 2.* neque Clericus dici potest in mora, non solvendo partem decimarum quartam, si tueri se possit, exceptione præscriptionis, *cap. de quarta 4. de præscript.* neque illi sunt in mora, qui exceptionem pro se habent legitimam dilatae fortis, *leg. lecta est §. sed cum foris ff. si certum petatur.* Nescit enim se debere, qui legitimam pro se habet exceptionem.

LXI. *Quod ob gratiam alicui conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.*

Juxta leg. non est in mora Cod. de procurator, ubi dicitur minoribus etiam voluntatis subvenire, in rebus tamen prosperè gestis non obedere, & juxta leg. si iudex ff. de minoribus, ubi dicitur, ut minor etiam non possit, ut beneficio restitutionis in integrum contra contractum sibi concessio, & juxta *cap. ad Aphrodisiam 1. §. de regularibus* Sancti ad intentionem tantum petentis, non extra notum proprio Princeps concessit aliquid.

LXII. *Nallas excusatus, deus do nos fraudulentum facit, obligatur.*

Quamvis enim mandatus obligetur mandando, tanquam causa moralis operis, ex vi mandati positi, non tamen consulens obligatur consulendo tantum (cum aliter non teneatur consilium sequi) nisi dolosum consilium dedisset, circa contractum aut quasi contractum (quo in casu de dolo ei teneatur, cui consilium tale fraudulentum dedit, *leg. quod si cum scires ff. de dolo vel consilium dedisset circa maleficium*, aut quasi maleficium, hoc enim in casu teneatur consulens de tali maleficio illi, contra quem consilium dedit, sicut ex vi consilii maleficium datum est, sumitur regula ex *lege 2. ff. de mandatis*, & *ex can. quisquis præceptis 4. caus. 14. q. 1. & ex cap. cum olim 7. de arbitrio.*

LXIII. *Exceptionem obicitens, non videtur de intentione adversarii confiteri.*

Putant aliqui regulam hanc locum tantum



tantum habere in exceptione non numerata pecunie, vel facti tantum, aut intentionis exceptionibus; satis tamen bene Glossa probat per *cap. Cum venerabilis 6. de except. Et per legem non utique ff. eodem. Et.* eam in aliis etiam casibus probare, quamvis saepe etiam fallat.

**LXIV. Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.**

Non quidem quae contra jus simpliciter tantum prohibens fiunt, cum multa sint prohibita, quae tamen facta tenent *cap. ad Apostolicam 16. de regular. Et hinc volunt aliqui hanc regulam tantum in illis casibus locum habere, ubi prohibetur aliquid, & simul invalidum statuitur; alii volunt, in illis tantum locum habere, quae perpetuam habent prohibitionis causam, non autem temporalem tantum; alii volunt, in illis tantum casibus locum habere, ubi jus plene resistit, nullibi assistentiam exhibens; alii denique volunt, in illis locum habere, quae alias sortiri saltem possunt suum effectum, quomodo se habent maleficia, prout refert, & refutat Glossa, si universiter exceptiones hae intelligi velint, cum per *cap. non solum 2. de regular. in 6.* nulla sit professio regularis, & per *cap. 2. de testibus*, nulla sit eorum receptio; & per *cap. 1. de rebus Eccles. non alienand.*, nulla sit alienatio, &c. quia contra jus haec facta sunt. Fateamur ergo necessum esse, fallere quidem hanc regulam saepe, suam tamen etiam in quibusdam casibus habere veritatem.*

**LXV. In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.**

*Compend. Perbing.*

Scilicet, quando utraque pars deliquit, dando v. g. vel recipiendo, ob turpem causam, pecuniam, propter stuprum v. g. obtentum, pro sententia iuris iniqua à iudice obtinenda, pro usuris, &c. si eam postmodum reperat, quibus in casibus iura volunt, ut pro possessore stetur.

**LXVI. Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quò minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.**

Et hinc juxta *can. Si qualibet 20. caus. 22. q. 2.* Abraham paratus quidem ad filium suum juxta Dei imperium immolandum, impeditus tamen per Angelum, perinde quoad meritum habetur, ac si immolasset, & per *cap. Quoniam frequenter 5. S. Porro, ut lite non contest.* &c. habetur pro citato à iudice, qui impeditur executores à iudice constitutos, ne possent ipsum citare.

**LXVII. Quod alicui non licet suo nomine, nec alieno licebit.**

Locum habet haec regula potissimum in maleficiis, indecens enim est, ut ait Glossa, crimen suum alienis commodis impendere; sic cum non possit nomine proprio, sive in suam utilitatem usuras aliquis exercere, neque licebit eas alieno nomine, sive in alterius utilitatem *can. Sicut non suo 10. dist. 46.* & sicuti poenam legis: *Si quis, de iurisdictione omn. iudicum*, juris incidit, qui proprio nomine album Praetoris corrumpit, ita eandem etiam poenam incurrit, qui nomine alieno, sive ad mandatum alterius hoc facit; & sicut per *cap. ad falsariarum 7. de crim. falsi*, fallere nemo debet licet

R I I I

ras



ras Papales suo nomine, ita nec licet nomine alieno.

**LXVIII. Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.**

Sic potest quis per alium jurare *can. Tibi Domino 39. dist. 63.* potest per alium matrimonium contrahere *cap. ult. de procurat.* per alium administrare negotia, judicare, contrahere, & plura alia, ita tamen, uti in multis etiam fallat hæc regula; in factis v. g. levioribus, & in delegationibus, ubi industria personæ electa fuit; in eo, qui veniam ætatis impetrat; in negotiatione, &c. Videatur Glossa in hanc regulam.

**LXIX. In malis promissis fidem non expedit observari.**

Dicitur in malis promissis fidem non servandam, & consequenter non negat hæc regula fidem servandam in illis, quæ malè quidem promissa sunt, per dolum v. g. aut metum extorta, sine dispendio tamen æternæ salutis servari possunt; & si accesserit juramentum, sæpe etiam ob reverentiam Sacramenti servari debent; cum aliud sit malum promissum esse, quod simpliciter observari non potest, & aliud sit, malè promissum quid esse, cujus tamen observatio culpabilis non est.

**LXX. In alternativis, debitoris est electio, & sufficit alterum impleri.**

Et hinc in *cap. unico. De plus potenti.* dicitur, plus petere causâ eum, & de expensis condemnandum, qui ex duobus alternativè debitis, præcisè petit alterum; & in *cap. Inter literas 4. de rescrip.*

Summa dicit: si Papa mandet in aliquo: de duobus inquit alternativè ad certum effectum consequendum, sufficere alterum probari; & in *cap. Significavit 48. de appellat.* justificatur appellatio, si una saltem causa inter complures allatas pro appellatione concedenda vera probetur. Sunt tamen quædam alternativa, ubi ordo servari debet, ut mandati v. g. talem aut talem ordinem requirentis, aut quod culpabilis mori intercedat.

**LXXI. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum magis magis admittendus.**

Nisi actio & exceptio tendant ad diversa, *cap. Inter dilectos 11. De excep. De lat.* vel nisi aliquid turbat, quod repellat exceptionem, *Debitores, 6. de iure jurati* nisi in possessorio tantum agatur, in aliis verò casibus juxta regulam, cui licet per actio v. g. *Et minus licet, exceptio v. g.* præsertim cum exceptio concedatur, cui non datur actio, excommunicatio scilicet, *cap. cum inter priorem 3. de excep.* & ubi actio tempore tollitur, perpetuò durat exceptio, *leg. dua §. ult. ff. de dolo.*

**LXXII. Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.**

Per aliquam scilicet jura interpretationem, cum verè loquendo factum etiam ab eodem, diverse tamen temporibus, non repræsentet identitatem ejusdem facti *l. Si non sortem §. Libertas ff. de condict. indeb.* Vide regulam ad potest quis, &c.

**LXXIII. Factum legitime etiam**



tractari non debet, licet casus po-  
stea eveniat, à quo non potuit in-  
choari.

Sic matrimonium legitime contra-  
ctum dissolvi non debet, ob impedi-  
mentum dirimens postea superveniens  
cap. penult. de eo qui cogn. consang.  
uxoris sua; vel ob supervenientem ma-  
riti v. g. insaniam can. Neque furiosus 26.  
caus. 302. q. 7. Non negatur tamen,  
quod subinde ob supervenientem cau-  
sam effectus illius, quod legitime factum  
fuit, impediatur can. Communiter 3. dist.  
33.

LXXIV. Quod alicui gratiose  
conceditur, trahi ab aliis non de-  
bet in exemplum.

Concordat cum hac regula, quod  
supra dictum fuit, circa privilegium per-  
sonale reg. 7. & quod dictum fuit in  
reg. 28. quæ à jure, &c. & quod infra  
dicitur in reg. 78. in argumentum  
trahi, &c.

LXXV. Frustra sibi quis fidem  
postulat ab eo, servari, cui fidem  
à se præstitam servare recusat.

Quæ regula locum maximè habet in  
promissionibus reciprocis, prout exem-  
pla, & jura probant, nisi partes sub  
pœna sibi invicem promisissent aliquid,  
& potius ab eo, qui primo fidem fregit,  
pœna videatur exigenda; quo in casu  
exigens pœnam ob fidem ab altero fra-  
ctam, fidem alteri servare debet, si pœ-  
nam accipiat, cum taliter solvendo pœ-  
nam promissioni videatur satisfactum.

LXXVI. Delictum personæ,

non debet in detrimentum Eccle-  
siæ redundare.

Sic, quamvis ob delictum, quod  
commisit Episcopus, debeat hic depo-  
ni, bona tamen Ecclesiæ non redigun-  
tur ad Fiscum can. Si Episcopus 3. caus.  
16. q. 6. & quamvis Procurator fallave-  
rit instrumentum, causam tamen non  
perdit Ecclesia cap. Cum venerabilis 6.  
de except. intelligi debet tamen hæc  
regula, quod delictum personæ in fa-  
ciendo, regulariter non præjudicet Ec-  
clesiæ, non autem, quod delictum in  
omittendo non præjudicet Ecclesiæ  
juxta can. Placuit 15. caus. 16. q. 3.

LXXVII. Rationi congruit, ut  
succedat in onere, qui substituitur  
in honore:

Ceteri è filius & hæres patroni, qui jus pa-  
tronatus ab hoc hæreditario jure acqui-  
rit, tenetur non minus defendere Ec-  
clesiam, si opprimatur, quàm patronus  
tenebatur, can. Filiis, vel nepotibus 31.  
caus. 16. q. 7. & Prætorus, qui succedit  
in honore suo antecessori, succedit  
etiam in onere debitorum solvendo-  
rum pro Ecclesiæ utilitate contracto-  
rum cap. 1. De solut. & iudex successor,  
iudice antecessore mortuo, ad idem ju-  
dicandum obligatur (cæteris paribus)  
ad quod obligabatur judicandum ante-  
cessor L. Mortuo iudice. ff. De iudiciis.

LXXVIII. In argumentum  
trahi nequeunt, quæ propter ne-  
cessitatem aliquando sunt concessa.

Sic, quæ ob paucitatem & defectum  
sæcularium v. g. Sacerdotum, sæcularia  
beneficia collata olim fuerunt regulari-  
bus,



bus, debet secularibus postmodum conferti, si nullus amplius secularium Sacerdotum defectus est, *can. 1. dist. 35.* & quæ concessa est propter necessitatem redimendorum captivorum, alienatio sacrorum valorum, trahi non debet ad alienationem in aliis casibus faciendam, *L. Sancimus. Cod. De SS. Ecclesiis.*

**LXXXIX. Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.**

Et hinc quamvis bonâ fide possideam rem aliquam, si tamen illa aliena sit, vendendo illam, non transfero in emptorem rei talis dominium, cum hoc ipse non habeam, nemo autem dare possit, quod non habet.

**LXXX. In toto partem dubium non est contineri.**

Et hinc, si pro te lata fuit sententia de domo, quam totam petivisti, exceptio rei iudicatæ nocebit postea mihi, si partem tantum illius domus petam, cum in toto pars contineatur utique.

**LXXXI. In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.**

Sic commissio generalis à Papa facta Legato, non extenditur ad causas fidei, *can. Frater noster. 52. caus. 16. q. 1.* & quamvis concesserit Episcopus subdito suo generalem eligendi confessarii facultatem, electus tamen talis circa casus Episcopo specialiter reseratos nihil potest, *cap. Si Episcopus 2. de pœnit. & remiss. in 6.* Sicut enim in obscuris inspicimus, quod est verisimilius juxta reg.

45. supra traditam, ita etiam in generalibus, ubi verisimiliter ea non veniunt, quorum difficultis aut inhumana est separatio, & ad quem speciale affectionem quis habet.

**LXXXII. Qui contra juramentum, bonam fidem præsumitur non habere.**

Quæ enim Ecclesia parochialis recipit decimas in aliena parochia, præsumitur malam fidem habere, & qui de manu Laici Ecclesiam recipit, mala fide agere præsumitur, *can. Si quis deceptus. 12. caus. 16. q. 7.* vel enim sciebat hæc talia à jure prohiberi, & sic, si contra agat, malâ utique fide agit; vel non sciebat, hæc talia à jure prohiberi, & ignorantiam clari juris habere censetur, quæ malam fidem juridicam facit.

**LXXXIII. Bona fides non potest ut semel exactum, iterum exigatur.**

Ita ut neque Ecclesia hoc liceat, *can. Fratemitas caus. 12. q. 2.* & locum etiam in pœnis hæc regula habeat, quæ semel exactæ, ab eodem iterum exigere non debent *cap. Et si Clerici 4. de pœnit.* In tamen unicâ exactione finitur omnis obligatio.

**LXXXIV. Cum quis alicui prohibetur alicui, ad id aliud non debet admitti.**

Sic rem, quam alienare prohibetur, non potes in pigram obligare *cap. Nulli liceat 5. de reb. Ecclesie alien.* Sic pater prohibitus administrare, nec ut curator administrare potest, per se scire oportet *§. Si mater. ff. de curat. et imp.*



inter. sic patroni prohibentur, beneficiorum non vacantium promissiones facere, ne per talem promissionem mors alterius procurretur, *cap. detestanda 2. de concess. prebend. in 6.*

LXXXV. *Contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur.*

Ita ut juxta vulgata dicatur pactum rumpere leges; & hinc quamvis ex legibus depositarius de dolo & culpa lata tantum teneatur, potest tamen vi conventionionis etiam obligari de levi, & levissima, imò etiam de calu fortuito *cap. 2. de deposit. §. l. i. §. Si conveniat ff. depositi.* Debet tamen conventio, ex qua legem accipit contractus, esse honesta, & non contra bonos mores.

LXXXVI. *Dammum, quod quis suâ culpâ sensit, sibi debet, non aliis imputare.*

Sic per *can. displiceat 38. caus. 23. q. 4.* sibi jubetur imputare, si quis ad iudicem ductus, sua culpa de equo se præcipitet, & lædat, quòd læsus fuerit; & Clericus sibi imputare debet, si negligat præbendam petere, cum vacat *cap. Si Clericus 11. de prebend. in 6.*

LXXXVII. *Infamibus portæ non patent dignitatum.*

Tam Ecclesiasticarum dignitatum quam sæcularium; tam juris, quam facti

infamiâ infamibus, ut sæpe dictum, cum ex omnium iudicio pessimè collocetur dignitas in persona infami, prout per *can. Tantus Daniel 3. dist. 81. & per cap. Inter dilectos 11 de excess. prelat. & plures utriusque juris textus patet.*

LXXXVIII. *Certum est, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.*

Sic quia juxta legum voluntatem, & mentem, quidquid pretio æstimabile supra sortem ex mutuo accipitur, usura dicitur, de usura condemnatur in *can. Plerique 3. caus. 14. q. 3.* qui aliquid supra sortem accipit, quodcumque demum illud sit, aut quocumque nomine veniat; & in *cap. Avaritia. 51. de elect. in 6.* cum jura prohibeant ante confirmationem electionis celebratæ, administrationi Ecclesiarum se ingerere, etiam ille in hanc prohibitionem committere censetur, qui sub œconomi, aut procuratoris nomine administrationem prohibitam exerceat. Vide etiam *leg. quamvis. §. Si cum essem ff. ad Velleianum;* & quas fallentias sæpius in has regulas advertit Glossa, ex qua desumpta hæc fuerunt, quæ pro fundandis, & explicandis his regulis hæcenus allata fuerunt.

